Pauificus no est ingressus
et dixit paufficus. ad immolandu
enim Domino veni.

1500

Wrocław

Dyssertacja doktorska

J.F. Schuman

Silesius Patschkoviensis

(Paczków)

UNIVERSA THEOLOGIA

Uno VERBO commendata,
Subjunctis de ineffabili Incarnationis Myſterio Quæſtionibus,

QUAM

Sub Gratioſiſſimis Auſpicijs
Magnæ VOCIS,
Summi VERBI prænuntiæ
DIVI PRÆCURSORIS
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
S. JOANNIS BAPTISTÆ,
EccleſiæCathedralis
Wratislavienſis
ad Sanctum JOANNEM
Sacratiſſimi Tutelaris.

In Alma,
Cæsarea, Regia, ac
Episcopali Universitate
Olomucensi
SOCIETATIS JESU,
SUB RECTORATU
ADMODUM REVERENDI,
ac EXIMIJ
PATRIS
P. JOANNIS
SEIDEL,
è Societate JESU,
SS. Theologiæ Doctoris, Academici Ejusdem Societatis JESU Collegij,
ac
Universitatis
RECTORIS MAGNIFICI,

PRÆSIDE
REVERENDO, ac EXIMIO
PATRE
P. BERNARDO
RASCHDORFF,
è Societate JESU, SS. Theolog. DOCTORE, Ejusdémque in eadem Universitate Professore Regio, Publico, ac Ordinario, nec non Facultatis Theologicæ
SENIORE,
Pro Suprema Doctoratûs Theologici Laurea
Publicè propugnandam suscepit
Reverendus, Doctiss: ac Præcellens
DOMINUS
JOANNES FRANCISCUS
SCHUMANN,
Silesius Patschkoviensis, AA. LL. & Philosophiæ Magister, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Augustissimi Imperatoris Ferdinandi II. Alumnus, & Presbyter Ecclesiasticus, ex Convictu Olomucensi, supremæ in Theologia Laureæ Candidatus.
Annô M. DCC. XXVI. Mense Augusto Die Horis ante, & post meridiem consuetis.
CUM LICENTIA ORDINARII.

OLOMUCIJ Impressum,

1726

PRÆFATIO DEDICATORIA

S. JOANNI BAPTISTÆ

conſecrata.

THeologia ex nominis notatione, atque pro muneris ſui obligatione, de DEO loquitur, & unà Theologo ampliſſimus diſſerendi aperitur campus, & quà latè patet Angelicus, & humanus Orbis Theologicis objicitur labijs, quorum poteſtati diſcurrendi Univerſa, quæ DEO ſubduntur, ſubjecta eſſe cenſentur; nunquam linguæ Theologicæ indicitur Silentium, & qui *Silentiarius* jam Theologus non eſt; ampliſſimam hanc in publico loquendi licentiam ab Eximia Facultate nactus, multa ſolicitudine de *VOCE*, & *VERBO* attineor, quo Theologicæ Diſceptationis diſcurſus robur ſumat, & capiat firmamentum, verùm qualis prodigioſa Hæc *VOX*, quæ vel *UNICA* totum roboret, & confirmet de Divinis Sermonem?

VOX hæc non eſt alia, quàm quæ DEI prænunciavit *VERBUM*, tam Spectabili facundiâ, ut & videretur, & audiretur, & per hanc *VOCEM* perciperetur *VERBUM*, & intelligeretur *DEUS*; VOX hæc; dum vel unum loquitur *VERBUM*, jam univerſa Theologiæ pandit Arcana, & ad Divinæ Mentis Proſapiam, ad VERBI Genealogiam Theologo præparat viam, & parat adytum, tutéque de ſummis locuturo gratioſis adeſt præſidijs, quia, dum *VOX* hæc præcedit *VERBUM*, nunquam lingua ſapientem præcurret mentem; ſed quæ tandem hæc *VOX* eſt? de hac *VOCE* dum quæro, de Magno Magni Nomine ago, ab Ipſa Divina Mente conceptum, & gratiâ formatum, Angelicô articulatum, & nunciatum labiô: *Vocabis Nomen Ejus Joannem, & erit Magnus coram Domino* (Luc. 1. v. 13. & 15.) Magnum hoc Nomen totum *VOCALE* eſt, & adhucdum Infans, jam exultatione loquitur, & *VOX* facta JOANNES, *VERBUM* Carofactum ſalutare ſuum reſalutat, poſtquam Virgo Mater ſterilem fæcundatam ſalutâſſet; nullius literæ adminiculô, neque ſyllabicô Nomen hoc indiget augmentô, quando Ipſum Divinum *VERBUM* Iſthanc *VOCEM* commendat; totum tamen etiam *CONSONANS* eſt, & ad Literam Divino conſentiens *VERBO*, neque unquam offendit in *VERBO*. Super Apoſtolicos Divini VERBI Præcones diſpertitæ apparuerunt linguæ, & repleti ſunt Spiritu

Sancto; super Divini VERBI Præcursorem, & Comitem Ipsum *Divinum VERBUM* non apparuit, sed *factum est super Joannem* (Luc. 3. v. 2.) & non solùm in deserto, sed jam in utero Spiritûs Sancti gratiâ est repletus; amica mutua prioritate jam *VERBUM* suis gratijs prævenit, & præcucurrit *VOCEM*, jam *VOX* suis obsequijs præcessit *VERBUM*; *VOX humilitate* cum *VERBI* certat *Majestate*; deprimit se *VOX*, ut exaltet *VERBUM*, & *VERBI Majestas* super omnia elevat *humilitatem VOCIS*; non astuta, sed argutè felix Joannis est argumentatio: *VOX* semper Minor, *VERBUM* semper propositio Major, gratijs formata optima conclusio sequitur pro Joanne. *VOX* in humilitate loquitur elogia pro VERBO: *veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum Ejus* (Luc. 3. v. 16.) *Illum oportet crescere, me autem minui* (Joan. 3. v. 30.) & *VERBUM* in Majestate præconia dicit *VOCI*: *non surrexit inter Natos Mulierum Major Joanne Baptista* (Matth. 11. v. 11.) tam potente confisus *VOCE*, in agone Scholastico non destituar verbo, neque sinè *VOCIS* aspiratione Theologicæ disceptationis inglorio munere defungar, Sanctissimo Joanneo Nomini universos submisissimæ devotionis, & dedicationis voto Theologicos consecro conatus, quando sacratissima hæc *VOX* summa totius est Theologiæ: Ad Jordanis littora, dum audit Baptista, Cœlô apertô Mysterium

rium Trinitatis evolvit (Luc. 3. v. 21.) totam & complectitur Materiam Angelicam, quando Ipsum Divinum *VERBUM* Joannem compellat Angelum (Matth. 11. v. 10.) Incarnationis Mysterium, quod Prophetæ remotis attigêre labijs, Joannes indigitavit, & juxta palpavit (Joan. 1. v. 36.) in fidei venit testimonium, *ut omnes crederent per Illum* (Joan. 1. v. 7.) omnium virtutum, & Sacramentorum aperuit fontem, in remissionem peccatorum tradidit scientiam, & dignos pœnitentiæ fructus manifestavit. *GRATIA* sic propria Joanni est, ut ampliùs *Gratiæ*, quàm *Naturæ* fuerit Filius, & antequam natus, jam Patrem habuerit Deum, & verè ex *DEO natus sit*. Joanneæ itáque sacratissimæ *VOCI* reverentissimo situ inclino caput, & submitto linguam, tantis vivæ VOCIS Oraculis animandam, tam enim potentis virtutis Joanneum Nomen est, ut muta quoque resolvat labia, quando pronunciandum est: *Joannes est Nomen Ejus* (Luc. 1. v. 63.) atque nè solùm disertè, sed & circumspectè loquar, etiam hæc VOX Illuminatrix est, *ut testimonium perhiberet de Lumine* (Joan. 1. v. 7.) Illabere itáque sacratissima, & Illuminatissima *VOX* devotissimi Clientis labijs, quidquid edixero, tantæ *VOCIS* erit Echo, totum in gloriam *VOCIS*, & *VERBI*.

Devotissimus Cliens

P. Joan: Franc: Schumann.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

GEmina, *si qua mentem subiret, admiratione benevolum Lectorem, vel in ipso limine præsenti pagina eliberatum cupio; Altera est: Mysterium Incarnationis Majestate summum, humilitate profundissimum, & Valore amplissimum pauculis referri, & dignissimam profusissimis præconijs materiam aliquot pagellis angustiari; si enim verba, quæ transeunter Incarnata Sapientia protulit, & facta, quæ desinenter præstitit, ampliorem Mundi ambitu exigant Bibliothecam, tanta enim sunt*, quæ si scribantur (*sensus est Evangelicæ Joanneæ pennæ (c. 21. v. 25.)* per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros; *quantam non Ipsum in substantia VERBUM æternum, in tempore Carofactum, facundiam profusi sermonis requiret? Sed hæc ipsa Mysterij Amplitudo pro brevitate potens est argumentum, quando sublimitas Sacramenti citra temeritatem, humanam eloquentiam non sinit esse disertam; hinc & fortè Ipsum Divinum VERBUM dici non renuit* abbreviatum; *atque si unquam in* magnis, *in hoc sublimi certè Mysterio* voluisse sat est. *Neque Divinum hoc VERBUM tam intellectu, quàm affectu, tam excelsa mente, quàm bona voluntate coli amat, personantibus Angelicis choris in Natali Domini*: Gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc. 2. v. 14.*) *& Ipsum Divinum VERBUM bonæ voluntatis minuta prætulit, jactato magni strepitûs thesauro in Gazophylacium misso (Marc. 12. v. 41. 2. & 3.) Altera est: de Universa Theologia positionibus solùm quæstiones de Incarnatione apponi, quæ unica pars Theologiæ est? sed pars hæc tanta est, ut pars (singula enim in VERBO Incarnato paradoxa sunt) sit æqualis toti, & in uno VERBO tota Theologia referatur: si enim* materiam de DEO *spectes, VERBUM Incarnatum totam Divinitatem complectitur.* Si Trinitatem *attendis, tota licèt Incarnata non sit* Trinitas, *tota tamen ad Incarnationem concurrit*: Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret (*Joan. 3. v. 16.*) *en DEUM Patrem!* & VERBUM Caro factum est (*Joan. 1. v. 14.*) *en DEUM Filium!* Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit Tibi (*Luc. 1. v. 35.*) *en Spiritum Sanctum! & Ipsum VERBUM Incarnatum materiam* Trinitatis *docuit*: Ego, & Pater unum sumus (*Joan. 10. v. 30*) alium Paraclitum dabit vobis (*Joan. 14. v. 16.*) Paraclitus autem Spiritus Sanctus (*v. 26*) cùm autem venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritum Veritatis (*Joan. 15. v. 26.*) *sed & Ipsa in carne attendi potest* Trinitas: Maria

Maria JESUS Joseph: *in vicem Patris sinè Matre*, Mater *sinè Patre* Principium Filij; Filius DEI, & Mariæ; *Vicariúsque Spiritûs Sancti*, *Sponsus Virgineus* Joseph. Materia de Angelis *VERBO Incarnato propria*, & *Ministerialis est*; *hinc ex Officio Arch-Angelus Incarnationem annunciat*, *Angeli Nativitatem prædicant*, *Christo in deserto ministrant*, *Angelus in agonia confortat*, & *in Resurrectione Domini*, & *Ascensione ministerialiter occupantur*. Beatitudo, Virtus omnis, Meritum, Gratia, Justitia, Sacramenta, & *quid quid Theologici discursûs residuum est*, *in Christo fundatur*, & *ab Eodem vigorem sumit*, *robur*, & *omne nanciscitur incrementum*; *atque ità multa paucis isthic complectetur libellus*, & *plurima in uno VERBO proloquetur*; *cui*; *si lubet*, & *Lector benevole*, *bonum verbum fave*, *multúmque vale*.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM.

THESES
EX UNIVERSA THEOLOGIA.

EX PRIMA PARTE D. THOMÆ.

I. EXiſtentia DEI eſt nota per ſe quoad ſe, non autem quoad nos omnes. Poteſt demonſtrari quaſi à priori ex conceptu Entis Optimi; Ejus exiſtentia à nemine rationis compote diu ignorari poteſt.

II. Eſſentia DEI metaphyſica conſiſtit in prædicato Entis ſimpliciter, phyſica quâ DEI prout in ſingulis Perſonis invenitur, conſtituitur per ſola prædicata abſoluta, & perfectiones ſimpliciter ſimplices; inter quæ prædicata non datur diſtinctio, niſì rationis ratiocinantis.

III. Nequit DEUS per ſe videri oculô corporeô, neque à creato intellectu naturaliter ſicut in ſe eſt, videri poteſt. Hinc ad videndum Eum connaturaliter per lumen gloriæ elevatur.

IV. Effectivus tamen influxus luminis gloriæ per auxilium purè extrinſecum ſuppleri poteſt. Beatis implicat comprehendere DEUM; ſtante æquali lumine, etſi ſit perfectior intellectus, ſequitur æqualis viſio.

V. Beati vident omnia, quæ ſunt formaliter in DEO. Species expreſſa intuitiva DEI neceſſariò producitur à Beatis. Videtur tamen ſinè ſpecie impreſſa.

VI. Per scientiam simplicis intelligentiæ DEUS cognoscit omnia possibilia distinctè; creaturas possibiles cognoscit in se ipso, & etiam immediatè in se ipsis.

VII. DEUS per scientiam visionis videt ab æterno omnia existentia, sicut & omnia absolutè futura, & quidem in se ipso, & in se ipsis.

VIII. Datur in DEO scientia media. Libera conditionata non cognoscit DEUS in Decreto prædefiniente, aut prædeterminante, sed in se ipso, & in se ipsis.

IX. DEUS ad gloriam ùt coronam prædestinat ante prævisa absolutè merita, reprobat autem positivè post absolutè prævisa demerita.

X. Sanctissimæ Trinitatis Mysterium non potest ratione purè naturali demonstrari. Relationes quà tales dicunt in DEO perfectionem simplicem; distinguuntur à natura mediatè in tertio.

XI. VERBUM divinum procedit à Persona Patris tanquam principio ùt quod, & quidem per intellectionem notionalem tanquam principium proximum ùt quò; Spiritus Sanctus verò procedit à Patre, & Filio ùt constituentibus unum adæquatum spiratorem; procedit autem ex solo amore notionali, & necessario. Non distingueretur realiter à Filio, si non procederet ab illo.

QUÆSTIO I.

In quo Concilio apparuerit major Dei Benignitas: *an, dum statuit per VERBUM* creare; *an, quando constituit* recreare *Mundum.*

AD divini Concilii Religione non præsumptione, Pietate non temeritate comite subsistens adyta: *introibo in potentias Domini* (Psal: 70. v. 15.) non scrutaturus incomprehensibilium DEI judiciorum *Majestatem: quis enim cognovit sensum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit?* (ad Rom: 11. v. 34.) sed DEI Creatoris, & Redemptoris investigaturus *Benignitatem*; Divinitatis non attingam abdita; sed divinarum Excellentiarum adibo manifesta: *Invisibilia enim Ipsius à creatura Mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (ad Rom: 1. v. 20.) amplissimúmque in mundo *creato*, & *recreato* se se objicit Theatrum: hinc *Creatoris*, indè *Reparatoris* prodeunt in Scenam opera, Conditorem suum, & Restauratorem singula non pro Persona jlocalariter; at pro officio seriò commendatura. Divina in æmulationem pro excellentia non collidam attributa (sacrilega enim hæc à proposito absit dissensio) neque de *Creatore*, & *Redemptore*, quis eorum videatur esse Major? temerariæ quæstionis erit irreverentia, sed latrevtica devotio utriúsque excessum Benignitatis adorabit. Si lubet attentam mentis aciem in stupendam Creatoris conjicere *Potentiam* omnia per VERBUM creantem: *In principio erat VERBUM, omnia per ipsum facta sunt* (Joan: 1. v. 1. & 3.) & ex nihilo in rerum Universitate spectabilia comparent entia: *dum vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* (ad Rom: 4. v. 14.) Verùm & ad Redemptoris thaumaturgam non pigeat advertere potestatem: *VERBO cre-*

ante ex nihilo assurgit *Natura*, & *VERBO recreante* ipsum destruitur nihilum; dum peccatum tollitur: *nam peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant.* (August: super Joan:) imò pejus nihilô est delictum, & quidem ex Theandricæ Veritatis Oraculo de prævaricatore Iscariote: *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si non esset natus homo ille*, (Marc: 14. v. 21.) & ex nihilo erigitur *Gratia*. *VERBI creantis* multa virtute præstantes, & efficaciâ valentes agentium creatorum vires præsentant potentiam, atque ad contingentiam suam, & indigentiam reflectens in laudem Creatoris omnis consonat Natura: *Ipse fecit nos* (Psal: 99. v. 3.) *VERBI recreantis* supra naturæ vires superna virtute pollentia, & ad sublimia elevata plena mysteriis agentia protendunt efficaciam, & ad dignitatem suæ reparationis, & elevationis attendens universa conclamat Gratia: *Ipse refecit nos.* Per *VERBBUM creans* in Divino Concilio dixit DEUS, & facta sunt extra DEum, quæ dixit VERBUM: *Dixit DEUS fiat lux, & facta est lux.* (Gen: 1. v. 3.) Per *VERBUM recreans* dixit DEUS, & ipsum *VERBUM Caro factum est* (Joan: 1. v. 14.) *per VERBUM creans* homo ad imaginem, & similitudinem DEI factus est, (Gen: 1. v. 26. & 27.) Per *VERBUM recreans* ipse DEUS *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo* (ad Phil: 2. v. 7.) ut homo fieret DEus. Per *VERBUM creans* dixit DEus: quid est, quod debui ultrà facere? Per *VERBUM recreans* dixit: quid est, quod ultrà potui facere? quid enim ultrà dabit, dum dedit se ipsum, ut esset Emmanuel: *nobiscum DEus*; & si tanta de dignitate *Matris DEI* bene loqui ausus est Mellifluus (in Opusc: c. 1.) *majorem mundum potest facere DEus, majus cælum, majorem Matrem, quàm Matrem DEI non potest facere DEus.* Quanta non audebit de magnitudine Gratiæ profari, quando nobis datus, & natus est DEUS; atque ità, & *VERBI creantis*, & *reparan-*

reparantis universa *Potentiam* admirati; & utriúsque *sapientiam* suspiciamus; neque multâ opus indagine; ultro ingens aperitur liber omnium rerum complectens originem, progressum, & finem, in quo sinè lassitudine fatiscentis ingenii divinam sapientiam contemplemur; ad librum hunc legendum, & intelligendum non est, quod scientiarum adeamus Emporia, passim exstat: tam citra sui vilipensionem *vulgaris est*, & non modò aperto sole, vel ad Cleanthis lampadem, sed & in tenebris legiblis est; tam *clarus est*; eidem lectitando, & amusus, & cæcus est idoneus, & solùm mente magìs, quàm oculis captus, arcetur: tam *captu facilis est.* Argumentum libri est eorum omnium, quæ vel oculis jucunda, vel grata auribus, cæterísve amœna sensibus, & animis fuêre: *tam admirabilis est.* Si titulum libri rescire aves? *Historia universalis* inscribitur; si annum editionis indagas, quô hic ingenii partus primam aspexerit lucem? editus est paulò ante omnem lucem, & si librum spectes in Corpore priusquam tempus esset: tam *antiquus est.* Si tamen singula pensites capita, quorumdam natales vix proximè lapsi diei exæquant ætatem: tam simul *novus est.* Authorem si requiris? hunc ipsum opus loquitur: *Potentissimam* scilicet *sapientiam DEI*; *hæc* (loquitur Basilius hom: 11. in hexam) *universa mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus, palàm contestans, ac depradicans Gloriam DEI, Illiúsque Augustissimam Majestatem enuncians tibi intellectui Creaturæ.* Eundem librum attentâ pupillâ inspexit Rupertus (l. 2. c. 25. in Gen:) dum hæc profatur: *Sic enim singula penè verba posita sunt, ut propè sub oculis legentium DEUM designaverint operarium diligentem, & solicitum.* Non uni ergo eremi Patriarchæ Antonio admirabilis hæc Universitatis compages dissonantium concordiâ, & discordantium consonantiâ Divinæ sapientiæ amplissimum est promptuarium; sed omni qui non *dixit insipiens in corde suo non est DEUS.* (Psal: 13. v. 1.) refertissima biblio-

lio-

liotheca, quæ tota unus liber eſt, prima vice in lucem editus, quando *in principio creavit DEus cœlum, & terram* (Gen: 1. v. 1.) & in eo *VERBUM creans* ſua opera conſignavit. Editio altera longè locupletior, & plurimis aucta eſt; licèt unicum tantùm adjectum fuerit *VERBUM*, in hoc libro theſauros ſuos Divina ſapientia per *VERBUM recreans* compegit. Liber hic *opus grande eſt*, (1. Par: c. 20. v. 1.) in quo Natura elevata, Gratia fundata, & Divinitatis impreſſus eſt character; Divinorum Myſteriorum eſt compendium, & chariſmatum Spiritûs Sancti eſt apparatus; in hoc Caput Angelorum, & hominum continetur, & ut loquar apertiùs, liber hic in mente Patris, & utero Matris conceptus, & in charta Virginea compoſitus, nam *Virgo Maria novum novi teſtamenti volumen eſt*, (S. Proclus Orat. 6.) eſt *liber generationis JESU Chriſti*. (Math: 1. v. 1.) non jam in typo, & figura Divinæ Sapientiæ veſtigium referens; ſed in veritatis plenitudine, & conſummatione ipſam divinam ſapientiam complectens; & in potentiſſima hac ſapientia, & ſapientiſſima potentia, & VERBI *creantis*, & *recreantis* elucet benignitas; neque enim *Illud* avaro conſilio univerſa fundavit, ut plura haberet; ſed ut abundantiam benigniſſimè partiretur; neque *Hoc* indigentiæ ſubſidio mundũ reſtauravit, ut reciperet ſua; ſed, ut exceſſum (amoris ſcilicet) quem completurus erat in Hieruſalem, largiſſimè aperiret, & gratioſiſſimè diffunderet: potentiſſimam, hanc & ſapientiſſimam Benignitatem *VERBI creantis* ex clara valle vulgavit in univerſum melliflùè (Bern: hom: 22. ſuper miſſ:) *Si enim ad quid facta ſint mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratiſſimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum poſſit obruere, potentiſſimè ſiquidem ex nihilo omnia, ſapientiſſimè pulchra, benigniſſimè utilia ſunt creata*: & ut ſingula ſub gratum caderent oculum, quod informi erat involutum chao, ſereniſſima diſtinxit luce, gratiæque abun-

dantiſſimæ radiis colluſtravit. Benigniſſimam verò potentiam, & ſapientiam *VERBI recreantis* non ad apparentiam, ſed veritatis ſoliditate, non jam Gentium, ſed univerſi Apoſtolus toti promulgat orbi: *Benignitas*, & *Humanitas* (Græcus legit: *Amor hominum*) *apparuit Salvatoris noſtri DEI* (ad Tit. 2. v. 4) & unà unicum plus benignitatis præſtitit VERBUM, quod Carofactum eſt, quàm præſtiterint univerſa, quæ per VERBUM facta ſunt; & pro Incarnata hac Divina Benignitate Doctoris in carne Angeli adverte Sententiam (Opuſc. 60.) *Bonitas & benignitas magna fuit in conjunctione DEI cum omnibus rebus per præſentiam, major, quâ communicavit ſe bonis per gratiam, maxima, quâ communicavit ſe Chriſto homini, & per conſequens generibus ſingulorum in Unitate Perſonæ.* Atque ità ſummi Boni naturaliter, ſupernaturaliter, & Perſonaliter communicationis excellentiam, Benignitati VERBI incarnati addicit, & nè plus ultra requiras in Theandrica hac Benignitate univerſa adunat electus nominis JESU Bajulus (ad Rom: 8. v. 32.) *qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*; conſummatúmque eſt votum Pſaltis Regii (Pſal: 16. v. 7.) *mirifica miſericordias tuas.* Quod vertit Hieronymus, *mirabilem fac miſericordiam tuam*, quam *equidem* (ut inquit Barradius tom: 1. l. 7.) *tunc cùm homo factus eſt mirificavit DEUS, admirabilémque fecit miſericordiam ſuam.* Et tandem omni exceptione majus pro hoc Benignitatis exceſſu trinum perfectum intellige ipſiusmet Divinæ Trinitatis teſtimonium: Sic DEus *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* (Joan: 3. v. 16.) Sic Filius dilexit, ut VERBUM Carofactum ſit, neque aliter hoc myſterium peractum eſt, quàm cooperante Spiritu Sancto, & Divino Amore: concepit de Spiritu Sancto: Quisquis itáque hujus Benignitatis non capis abundantiam, debilitatem incuſa non valentem pertingere, quò benignitas Salvatoris

excrevit; Attamen nè fructu careas singula de *VERBO* in uno *Nomine* reverens cole. JESUS est Nomen *Majestatis*; JESUS est nomen *Suavitatis*; JESUS est Nomen *Potestatis*: est Nomen Majestatis, quod significat DEum hominum; est Nomen suavitatis, quod significat Patrem Hominum, est Nomen Potestatis, quod significat Salvatorem Hominum. Majestas ejus facit, ut adoretur in cælo, suavitas ejus facit, ut ametur in terra, Potestas ejus facit, ut ab inferis timeatur.

QUÆSTIO II.

An Verbum æterni Patris, fuerit vocalius; dum per illud facta sunt omnia? an quando Verbum Infans caro factum est?

QUando DEUS loquitur, creatum taceat labium! & ultro Tullij reverentiâ loquentis attoniti, linguam suspendunt in anathema, & elingues gaudent esse Harpocrates; dum fœcundissimam, & omnia fœcundantem Divini eloquii demirantur facundiam; silentii legibus obligatur, & promptè in taciturnitatis jura omnis humana concedit suada; dum unum Divinum auscultat VERBUM, cujus vocalis adeò est vigor, ut non jam ex figmento; Jovis sint omnia plena; sed ex veritatis robore, VERBO hoc personent Universa: *Tibi serviet omnis creatura tua, quia dixisti, & facta sunt, misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est, qui resistat voci tuæ.* (Judith. 16. v. 17.) nil sonum moratur, excelsè provecta cælorum Altitudo, nil longè latéque exporrecta terrarum amplitudo, sua vocalitate omnia prævertit; enim verò priusquam circulatus in orbem æther suis colluceret ordinibus, & in sphæram conglobatus, cardinibus insisteret Megacosmus; jam ex ore prodiens Altissimi Divinum VERBUM, in edita Divinitatis insonuit specula, suáque Harmoniæ dulcedine mentem oblecta-

oblectabat Paternam; hujus vocalissimi Verbi aliqua daturus primordia Discipulus ille, qui subtilissimè Divinitatis penetravit abdita, & ambas subinde, divino VERBO incubans, applicuit aures, hanc locutus est genesim: *In principio erat VERBUM* (Joan: 1. v. 1.) Sed tunc solùm hoc VERBUM intellexit DEus. Ultrà insonat vocale Patris æterni Verbum, & postquam ab æterno sibi locutus, & pro tempore dixit, & tam efficaci quidem vocalitate, ut ipsum nihilum Divinam perceperit vocem: *dixit, & facta sunt*; cunctáque citra moram è confuso nihili sui chao in suam quoque commigrant stationem, nihilque toto complectitur orbis sinu, quod suam à Verbo vocalissimo originem non deducat: *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil.* (Joan: 1. v. 3.) cui vocali efficaciæ consonat Hipponense Oraculum: *Omnis omnino creatura ab Angelo usque ad vermiculum per VERBUM facta.* Hem vocis in VERBO portentum! sed majus audiatur, dum vocaliùs VERBUM resonat in angusto materni pectoris gremio, quàm in augusto Paternæ sapientiæ solio, sonantius VERBUM infans ad vocalem consensum Virgineum *caro factum*, quàm Æterni Patris *genitum* eloquiô *non factum*: eructaverat in divina fœcundissima facunditate, atque in immensis Divinæ eloquentiæ campis Pater VERBUM bonum, sed nondum in convallem ulla declinabat creatura, quæ in se refractum redderet vocalius; At verò jam adest Virginea Ancillatrix humillima MARIA, & dum in profundissimam demissionis decressit vallem VERBUM, quod sibi Pater æternus occinuit, non modò æquale reddidit, sed *idem*, nisì, quod sonantius effecerit, quia bis vocale; geminatum hunc sonum Prophetica subinde percepisse videtur aure Regius Vates, dum ait: *Semel locutus est DEUS, duo hac audivi* (Psal: 61. v. 12.) Quî amabò semel proloquente Numine duo percipiuntur? quî unicum, ceu geminum resonat eloquium? nisì quia VERBUM Divi-

num gratioso reflexu velut Echûs resonantiam in convalle Mariana est nactum. Nempe ea humilibus, colliúmque eminentiâ depressis inest locis indoles, ut exceptas voces reddant, reciprocóque adaugeant commeatu.

Sex etiam, ac septem loca vidi reddere voces,
Unam cùm faceres, ità colles collibus ipsi
Verba repulsantes iterabant verba referre.

lucret:

Perinde sanè (si magna licet componere parvis) VERBUM Patris unum cùm editum sit, in Virgineo repercussum utero, ab utero in Ecclesiæ refractum Petra, quasi rupibus colles ipsum VERBUM repulsarent, adeò resonuit. Mirè cogitatui huic suffragatur Damianus (Serm: 43.) *Attende* (inquit:) *magnum Sacramentum, Filius DEI totus, & integer eructatus est de corde Patris, in uterum Mariæ, de ventre* Matris *in gremium Ecclesiæ quantus in Patre, tantus in Virgine, quantus in Virgine, tantus in* Ecclesiæ *unitate.* Vide, ùt salientibus ultro citróque concentibus ejusdem in carne VERBI adsonet Echo, vocalius in tempore, quàm æternitate: tunc enim verò omnem humanorum effugiebat sensuum solertiam, neque nisì Paternam oblectabat aurem: *VERBUM erat apud DEUM* (Joan: 1. v. 1.) quod eruditè Toletus ità reddit: *Hoc VERBUM in principio erat tantùm apud DEum, non autem apud nos.* Hinc orbi inauditum, nec nisì obtusô fidei ac vaticiniorum hauriebatur sonô. At verò ubi obumbrantis Spiritûs impulsu Virgineam offenderat convallem, Carofactum, adeò se se vocale præbuit, ut ejus concussa robore tellus, frequentiâ, & gratiâ potiores, quàm unquam in mundi germinaverit genesi, virtutum profuderit flores, quorum præcoci capta decore Sponsa in melos solvitur: *Flores apparuerunt in terra nostra (cant: 2. v. 12.)* Sed unde hæc germinum præcocitas? nempe *vox turturis audita est.* (ibidem) vocis ergo in incarnato VERBO vigorem, illicò

illicò florentis virtutis consecutus est viror: *Sonuit vox, & splenduit flos*: Sensus est florigeræ clarævallis Apiculæ: quin imò non floridum hunc duntaxat prolicuit partum; sed universam insuper originali aridam & exanimem malô naturam redanimavit, & primævo meliori restituit flori. Porro non humilibus vallium limitibus se se coarctari passus est, etiam collium transcendit apices, hic VERBI infantis sonitus: hinc illa demirantis dilectæ acclamatio: *Vox dilecti mei ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* (Cant: 2. v. 8.) insonuit, & super montana Judææ eô tenore, ut ab ipso adeò Joanne Materni adhuc uteri septô angustiato audiretur, siquidem *exultavit in utero* (Luc. 1. v. 41.) En! ùt VERBUM Incarnatum vocis claritate juxta, & majestate, non aures modò, verùm & fœcundos afficiat uteros, & *Verbum Infans* exultare faciat *Vocem Infantem.* Imò & inauditô Aristotelicis portentô non unius *auris*, sed & *pupillæ sensum* provocat, atque oblectat. Indè illa vigilantis plebeculæ paræneſis: *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis* (Luc. 2. v. 15.) Et vocalissimi hujus Infantis motus dulcedine Petrus Damianus in has prorumpit voces: *Olim mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur carmina Poëtarum, & Sirenes dulces meum incantaverunt intellectum, nescio quomodo dulcius immurmuret filius Jesse, qui omnes illos, quos antea diligere consueveram ineloquentes reddit, & mutos.* Ità nempe vocale est VERBUM Infans, ut ipsa eloquentia obmutescat.

QUÆSTIO III.

An admirabilior DEI in Filium Hominis sit demissio, an hominis in DEI Filium exaltatio?

FAvete linguis Romanæ eloquentiæ Principes, obrigescite Græcæ fluentis suadæ celebres Athenæ: omnes

omnes Oratorum supergressa fontes Angelica facundia VERBO Incarnato panegyricum adornat, non diffusum phalerato verborum agmine, longáque periodorum comitatum serie, hæc enim auris humanæ lenocinia, superum fastidit Rhetorica, sed unicô Elogiastes Angelus diverbiô VERBI Incarnati stringit præconia: *Erit Magnus* (Luc: 1. v. 32.) nè si magè disertus foret, minùs quàm vellet eloqueretur: At quid amabò sibi vult, quod stans secus Altare Angelus de Joanne, cui à Baptismo nomen, edisserat, non simpliciter Eum *magnum fore*, sed magnum futurum coram Domino: *erit magnus coram Domino* (Luc: 1. v. 15.) nil profectò aliud, quàm, quòd hac loquendi methodô purum hominem, & servum, non item Dominum, suffragante Mediolanensi Præsule, voluerit designatum; ampliùs ergo quid de Domino, quàm de servo enuntiavit solùm inquiens: *erit Magnus*, in omni scilicet Virtutum genere; *Magnus* in omnigena potestate, portentorúmque effectrice potentiâ *Magnus*; quam magnitudinem Magnæ Matri proponens sylveira (Lib: 1. c. 5. q. 37.) ait: *licèt O Beatissima Virgo hic Puer JESU tibi parvus videatur Corpore, & membris, quid quid tamen in eo cogitaveris, magnum, & altum est.* Duo tamen in hoc Magno præ aliis verè magna, & admiranda non obscurè attingit Archangelus; alterum hominem ad divinam quandam dignitatem sublimatum annunciando Virgineum Partum vocandum Filium Altissimi, quod DEO Nomen frequentiùs sacræ tribuunt litteræ, *Filius Altissimi vocabitur* (Luc: 1. v. 32.) Alterum DEum hominis conditionem non aspernatum, Eundem Filium David compellando *dabit illi Dominus DEUS sedem David Patris ejus.* Utrum altero admirabilius? ex discursu collige. Magnum Mysterium est, non otiosus verborum numerus; dum genealogiam Theandricam describens Evangelista idem gemino effert nomine: *de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus* (Matth: 1. v. 16.) elucidat

cidat hoc cum Damasceno Angelicus (Opusc: 60. c. 1.) super citata verba ità ratiocinans: *JESUS significat DEum humanatum, Christus verò econtra significat Hominem Deificatum, quia duæ Naturæ in una Persona Filii se circumdederunt.* Grande sanè prodigium *Homo Deificatus*; sed hoc nihilô inferius portentum est *DEus Humanatus*, utrumque maximum Fidei Mysterium, utrumque summum Divini in nos Amoris testimonium, utrumque adorandum magìs, quàm curiosa enodandum indagine, mirabilium mirabilissimum Sacramentum. Factus est DEUS id, quod sumus, ut efficiamur id, quod est; quid enim (ut reverenti scrutinio pensemus utrumque) æquè humanitatem sublimare potuit, atque sublimavit admirabilis, illa cum VERBO divino in unitate Personæ conjunctio? quòd námque non edixerit Joannes à VERBO assumptam esse carnem, sed potiùs *VERBUM Carofactum est*; ideò factum est tum, ut teste D. Thomâ sacrilegas Nestoreo, geminos in Christo filios, DEI alterum, alterum Virginis asserenti, præcluderet fauces; tum, & vel maximè juxta eundem Angelicum, & Cyrillum ut palàm fieret unionem VERBI ad carnem, absimilem esse illi assumptioni, quâ nonnunquam Prophetæ ad divina cum populo pertractanda negotia, ceu ablegati assumebantur, non item in suppositi unitatem. Exaltabantur, quæ non indumenti adinstar accessoriíve hujusmodi ad Personam, quæ regiis insignibus gloriatur, sed dignitate Personali divina substantialiter exaltata, & condecorata fuit; neque porro hagiographus VERBUM Hominem, sed carnem esse factum asseruit, ut ad solam animam confugiendi præcluderetur via Platonicis, quibus anima duntaxat rationalis homo est, in cujus Corpus non partem, sed habitaculum venit; aliam proposito magìs accomodam rationem adinvenit Theophilactus: *quia caro* (inquit) *à divina natura alienior est - - - ut ineffabilem ejus benignitatem obstupesca-*

pescamus, quod propter nostram salutem alienam à natura sua, & omnibus modis peregrinam carnem assumpserit, anima enim cogitationem habet cum DEO, caro autem nullô modô communicat. Et idcirco opinor Evangelistam solo carnis nomine usum, non quod anima expers sit assumptionis, sed ad majorem ostensionem mirandi, & stupendi Sacramenti, hæc ille. Enimverò an non mirandum, prorsúsque stupendum est; creaturam de nativo suo extractam nihilo Divinæ Excellentiæ fieri consortem; unde non inconcinnè Divus Petrus Chrysologus proposita suis quæstione, quidnam admiratione foret ampliùs; an: quòd sese terris DEUS dederit; an: quòd hominem intrare faciat consortium Divinitatis? quòd nascatur in servitutem Dominus, an: quòd servum constituit hæredem? in sequentia concludit: *est utique terribiliùs, quòd terra transfertur in cælum, homo Deitate mutatur, servitutis sors Dominationis jura acquirit*: Attamen bonâ sermonis aurei Authoris gratiâ, in Sententiam Oris aurei concedo, quâ Patriarcha Constantinopolitanus censet longè admirabiliùs DEum fieri hominem, quàm hominem in DEum consecrari. (Chrysost: Serm: 2. in Matt: c. 1.) quid ità? exaltari miseriam opus est miserentis gratiæ: exinaniri Majestatem, rigorem notat justitiæ, & si magnum, si excellens est, ità sua largiri alteri, ut largientis non minorentur gazæ: longè majùs, longè excellentiùs est se ipsum totum quantum servi subdere potestati; subdidit autem se se Ancillæ suæ Dominus; dum *incarnatus ex Maria Virgine Homo factus est*. Primas proinde non vilitati exaltatæ, & ad solium Deitatis evectæ, sed Majestati humiliatæ vilitatem exaltantis deferri est necesse, & ut ampliùs inclarescat hæc admirabilitas, geminam apello visionem, disparem quidem in visa Majestate; at in elucidando mysterio unanimem. Vidit Isaias (c. 86: v. 2.) Regem Regum in throno Seraphinis circumdatum, quorum munus erat alis suis etiam faciem ejus velare. Vidit & Apo-

& Apocalypticus Propheta eundem (Apoc: 4. v. 6.) at jam non velatum, sed inter quatuor animalia manifestum. Ille vidit DEUM in Majestate nondum carne velatum, iste DEUM conspexit incarnatum; in priore affectabat adhuc latere amor, at in altera omnibus avet esse apertus, ità nimirum (phrasis est Sylveiræ t. 1. l. 2. c. 3.) de assumpta gloriatur humanitate, ut inter omnia videri, omniúmque in se oculos attrahere affectet, documentô evidenti, nunc demum opus illud esse expletum, quô majus nec Angelicus effingere intellectus, nec DEI charitas omnibus in unum redactis Omnipotentiæ instrumentis valeat efformare; in idem concedit assertum Mellifluus (hom: 3. super miss.) expendens illa verba: *erit Magnus* (Luc. 1. v. 32.) quærit, cur non *est*, sed potiùs *erit Magnus*: dixerit Evangelista, cùm non habeat, unde crescat, qui semper æqualiter magnus est, sibique respondet; *an fortè propterea dixit erit; quia qui Magnus DEUS erat, magnus Homo futurus sit*, & (Sermone 1. de Epiph.) *quantò minorem se fecit in Humanitate, tantô majorem exhibuit in bonitate, & quantô pro me vilior, tantô mihi charior. Quid ampliùs vis ò Homo?* proponit arduam avaro quæstionem D. Cyprianus (Serm: de Ascens:) *priùs dicebatur DEO, tuus est homo; nunc dicitur Homini, tuus est DEUS*, concludítque dialogum hoc salutari monito: *ô homo sufficis tu DEO, sufficiat tibi DEUS*. Finem coronet D. Aurelius (Serm: 206. de Temp.) *Nemo* (inquit) *potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare: potuit tamen Divinum VERBUM, etsi non inclinâsset jacentem hominem erigere, sed modum hunc multò aptiorem, ut se proderet invenit amor, mortalium enim amorem, DEI inclinatio maximè conciliat; rapit, & accendit.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An vox illa cælestis Patris : Hic est Filius meus Dilectus (Math: 3. v. 17.) *de Christo, in quantum Filius DEI, an in quantum Filius est Virginis, sit enuntiata?*

VERBUM Incarnatum, & in fonte, & in monte, & in Jordane, & in Thabor cælesti voce audio Filium, & Hujus in cælo, & in terra novi esse parentem; in illo reperio genitum sinè Matre, in hac invenio natum sinè Patre; at hoc paradoxum hic non attingo; sed quid primùm demirer attonitus hæreo: divinúmne Patrem, an Virgineam Matrem? Uterque Parens indiviso nexu, eadem gaudet sobole, uterque, dispari licèt modò, ejusdem Filii genesi fœcundatur: Ille natum generat, non *arbitriô*, sed *naturâ*; conatu intellectûs, non item voluntatis delectu: hæc quòd in utero concipiat, non id naturæ, addicendum viribus; sed suum Angelicæ legationi præbenti assensum in acceptis referendum est *Voluntati*; Ille dixit fœcunda mente, & divinum gignit Filium *Pater*; Illa dixit fœcundo bonæ voluntatis consensu: *fiat mihi secundum Verbum tuum* (Luc. 1. v. 38.) & Filius DEI fit filius hominis, quem concipit *Virgo Mater*, & idem indivisim, & Dei, & Virginis Filius est, ut non solùm homo homini, Deúsque DEO, sed totus, & Patri, & Matri debeatur, singulisque respondeat Filius *DEUS homo*; *si* enim (sapientissimus inquit de La Cerda de Matre) *una fœmina Virgo, & Mater est absque partis iactura, DEus homo integrè illi debetur*, & eundem Virginis Unigenitum totum quantum Patris perhibet Filium, Alcuinus (Lib: 6. cont. fælic: col. 13.) *si* (inquit:) *Ille, qui natus est ex Virgine totus est proprius Virginis Filius, æquum est, ut credamus Eundem DEI Patris proprium esse Filium*; qui etsi nec

nec totus de DEO, nec totus de Virgine, totus tamen DEI, & totus Virginis est, mens est D. Bern: (hom: 3. super miss:) & de hoc Filio problematicæ enodationi præsens pagina insistit; an scilicet illa ad Jordanis littora cælo delapsa vox, & subinde in Thaboreo monte resumpta: *Hic est Filius meus dilectus*, pertinuerit ad Filium, ùt DEI Patris, an ùt Virgineæ Matris? quòd autem arcta societate, quà virtus Divina, quà humanæ naturæ munus cooperata sint in Virgine, ut & Humanitati Deitas, & Deitati obviaret Humanitas, & in uno, eodémque Filio jungerentur, qui nec erubescebat Humanitatem, in quantum DEus erat, nec Divinitatem supprimebat, in quantum existebat Homo, non tam controversiæ est argumentum, quàm orthodoxæ fidei Sacramentum. Nunc quod quæstionis decisionem attinet, nemini peregrinum videatur; si pro Virginis Filio Sententia steterit, ad quam rationis momenta, & Authoritatis gravitas inclinavit: ordior à rationis firmamento: nullus in dubium revocare ausit omnem Paternæ Naturæ vim exhaustam, exertámque esse in filium Divini intellectus conceptione; ubi insuper Maria ex voluntate concepit, & amore: *Sic námque Maria amavit, ut quem Pater ex infinitudine intellectûs progignit, non in aliena, sed in ipsamet regione, scilicet in intellectu, Virgo ex eximio voluntatis excessu etiam in utero generaret, ut carne, & amore Mater esset*, inquit de La Cerda (Acad: 15. S. 1.) quanquam neque ad hunc Virginis conceptum Patris æterni defuerit voluntas; Hic enim, cùm per voluntatem generare nequiret filium, Virginem deligit, & ex Divina voluntate hujus fœcundat uterum, ut partus Virgineus etiam Paternæ voluntatis Filius diceretur; quam, & Mediatoris nostri genealogiam ex Sapientia & Voluntate deducit Mediolanensis Præsul (in Psal: 1.) qui, (nempe JESUS) *est lignum vitæ, lignum sapientiæ plantatum in utero Virgineo voluntate Patris*; néve locum præberet ambigendi, cur in totius Trinitatis fabrica

brica de sola memoret voluntate Patris? Sedulus præcavit, arcanum enodans: ut nimirum pateret genitum in Virgine ex Patris voluntate, qui ex Sapientia Divina genitus est; ac voluntatem conjunxit sapientiæ, ut & pignus fateretur amoris, nec tamen æternam mentis sobolem diffiteretur. *Summus ille DEUS* (Damascenum loquor Orat: 2. de Nat: Virg:) *Præfinitum à se ante sæcula consilium, juxta arcanam, atque omnem Sermonis facultatem superantem Patris, cognatique Spiritûs voluntatem in opus perducere cupiens, ad nos terrenos per carnem accessit*; atque ità VERBUM Incarnatum factus est Filius Voluntatis, & Paternæ Dilectionis. Non enim intellectus, sed voluntas est, quæ amoris permota pondere extra se fertur, & suis velut avulsa sedibus tota inclinat in dilectum. quid enim sibi vult ea loquendi ratio spiritu divino prolata (Psal: 2. v. 7.) *Filius meus es tu*? ubi nulla *dilectionis* intercedit mentio, quamdiu de æterna VERBI generatione procedit Oratio; at verò, ùt primùm de Filio DEI Incarnato Divina vox auditur, non jam tantummodo Filius asseritur; sed una *dilectus* pronuntiatur; verborum hæc discrepantia innuit, Christum quidem, quod *Filius DEI* sit ab æterno Patre generante participare, ut sit sapientia Patris; at verò filium esse *Divinæ dilectionis*, & (ut ait La Cerda) *charitatis ideò, quia in Virgine per dilectionem genitus*; hinc, *& concepit de Spiritu Sancto*, itáque dum altera in Deitate Persona ex Intellectu, & Sapientia Patris in similitudinem summam naturæ exoritur, Filius quidem audit Paternæ Sapientiæ, at dum demum Filius Paternæ evadit charitatis, quando (phrasis est Melliflui) *corona existit Virgineæ castitatis*; de Filio ità dilecto Cyprianus (Serm: de bapt:) sequentia profatur: *duo grata vocabula. FILIUS, & DILECTUS, dictante ipsómet Deo nostris sensibus imprimuntur; ut communio Nominum nos associet collegio munerum, & tantæ dulcedinis Nomina nostrum emolliant animum, devotionis accendant* affe-

affectum. *Hic* (ait Divinus Genitor cælum respiciente JESU, Divinóque in eum delabente Spiritu) *est Filius meus Dilectus*, Syriaca habet *dilectissimus*. sic nempe & Pater, & Spiritus Sanctus, Genitor, & Divinus Amor concurrunt, quando Verbum Incarnatum audit *Filius Dilectus*, solùm concurrente Patre, quando tantummodo *Filius DEI* audiebat; Hic est *Filius meus Dilectus* (interprete Cornelio) per quem diliguntur cæteri, per quem reconciliatur toti generi humano DEus offensus. Hic est *Filius meus* (citata reddit verba S. Leo (Serm: de transfig:) *qui eam, quam mecum habet æqualitatem non rapinâ appetiit, nec usurpatione præsumpsit, sed manens in forma Gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum exequeretur, commune Consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommunicabilem Deitatem.*

Christo itáque, seu alienos nævos in Jordanis undis depuraret, seu in illustri Thaboris gloria innocentiam suam exaltaret, à Patre divino datum præconium: *Hic est Filius meus Dilectus*, non tam reflexit ad æqualem Majestate Patri, & Spiritui Sancto *Filium Numinis*, quàm exinanitum nostri causà Filium Hominis, quem in Nazareth Virgo concepit, Bethlehem in sua non recepit, perfida Solyma non percepit, sed morte infami affecit, & quem tandem à gloriosa sua Anastasi devicta morte triumphantem nube candida Cælum suscepit.

QUÆSTIO V.

Quodnam creato intellectui sit ineffabilius, Trinitatis, an Incarnationis mysterium?

ABYssus abyssum invocat; dum non jam inter sacrum, & Saxum, sed inter sacerrima, & Sanctissima, summa inter mysteria, & maxima Sacramenta hæret penna; utriusque pelagus sinè fundo, conatus sinè

 progressu

progressu, Labyrinthus sinè exitu, circuitus sine requie, circulus sinè centro, linea sinè termino, Gordius sinè acinace, ænigma sinè Oedipo, conari, & fatigari conceditur, eluctari non datur; hinc unitas naturæ immersa Trinitati, & Trinitas in Unitate absorpta proponitur, ut idem sit DEus unus, & Trinus; & triplicem integram Personam in Unitate naturæ humana non capit ratio; indè Unitas in dualitate, & in simplicitate ostenditur duplicitas, ut idem sit DEus, & Homo, & dualitatem completæ naturæ in Unitate Personæ creati non percipit intellectûs indago; ibi nescit numerare tria, hìc ampliùs ignara, nec duo novit combinare in uno; neque hìc sola in veritate titubans vertiginem patitur hæresis; in mysterio quidem Trinitatis Sabellius, unam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti adstruens Personam; & Arrius Filium consubstantialem Patri pernegans, & sic substantiam Personarum separans, quas Sabellius confundebat. In Sacramento verò Incarnationis Nestorius, & Eutyches, quorum prior in Christo duas asseruit Personas, Humanam scilicet, & Divinam; alter verò unicam naturam affirmavit; sed & orthodoxa ratio non vacillans quidem in fide, sed scientiæ suæ diffidens, Majestatem utriusque mysterii obstupescit, in hoc felix, quod tenebras suas Lumini subjiciat fidei, & etiam ignorantiâ comite ad summa hæc mysteria deducatur, quâ magistrâ etiam se profecisse decantat Psaltes (Psalm: 70. v. 16.) *quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini*(*v. 17.*) in vestigandísque tantis Sacramentis pumila ratiocinans sit anima, & professionem fidei faciens eluctabitur ad summa: *confiteor tibi Pater Domine cæli, & terra, quia abscondisti hac à sapientibus, & revelasti ea parvulis*; (Matth: 11. v.) opprimenda aliàs mysteriorum Majestate; si temeritate, vel curiositate scrutatrix evanuerit in gigantem: *non disputatio comprehendit, sed sanctitas* (Bern: l. 7. de consid:) & idem Mellifluus (cap. ult. de Dom:) *ad hujus scientiæ plenitudinem opus est*

est potiùs intima conjunctione, quàm profunda investigatione, suspiriis, quàm argumentis, crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus, lacrymis, quàm sententiis, Oratione, quam lectione, gratia lacrymarum, quàm scientia literarum. Sed appendamus nunc comparationis stateram, examinemus lances, intueamur de inenarrabilibus lingvulam, scrutemur, utrum mysteriis sit graviùs? & primùm quidem, quod de summa Trinitate gravissimè pro Authoritate sua Hipponensis opponit Præsul (lib: soliloquiorum) ponderemus: *O Trinitas* (triunum DEum alloquitur) *soli tibi integrè nota! Trinitas Sancta, Trinitas supermirabilis, & superenarrabilis, & superinscrutabilis, & superinaccessibilis, superincomprehensibilis, superinintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exuperans omnem sensum, omnem intensionem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam super cælestium animorum, quam neque dicere; neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiam oculis Angelorum*; Sed & paradoxa VERBI Incarnati libremus; pro quo idem Aurelius pondus præbet: *hic jura mutantur naturæ* (Serm: 9. de Nat:) *DEus nascitur, Creator fit creatura, incorporeus carne vestitur, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis, quem cælum, & terra benedicit, in præsepio angusto collocatur.* O! exclamat Mellifluus (hom: 2. super miss.) *longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana! O VERBUM paradoxum! Rex idem pauper, & dives* (Fulgentius Sermon: 5. de Epiph;) *humilis, & sublimis, qui portatur, ùt parvulus, adoratur ùt DEus, parvulus in præsepio, immensus in cælo, vilis in pannis, pretiosus in stellis. Frustra igitur humana eloqui satagit facundia, quod Divina non nisì comprehendit Intelligentia.* (August: in Joan:) hinc, & admiratione istius mysterii cælum attonitum silet: *factum est silentium in cælo quasi mediâ horâ* (Apocal: 8. v. 1.) *generationem ejus quis enar-*

narrabit? de Verbo, quod ex ore Altissimi prodiit stupens loquebatur Propheta (Isai: 53. v. 8.) & hujus Verbi genesim Arriano explicaturus Augustinus: *VERBUM* (ajebat) *quod DEUS loquitur, mortalium refugit linguas, aures poscit, auditor sit homo oportet, ubi DEus est Orator.* Verbum hoc scitur nesciendo, credendo percipitur, & repetitur tacendo. Sed & de VERBI Incarnati generatione consonat Smyrnensium Antistes Cyrus, cum sub ipsa muneris sui auspicia de secundo Christi exortu verba facturus suggestum conscendisset: *Fratres* (inquiebat) *natalis Domini nostri JESU Christi silentio colatur, quia solo auditu in sacra Virgine conceptus est. Erat VERBUM, cui gloria in sæcula sæculorum.* Hinc & Theologica Aquila ad sublimes has generationes evolans, utramque sub uno capite comprehendit: *in principio erat Verbum* (Joan: 1. v. 1.) & *VERBUM caro factum est* (Joan: 1. v. 14.) & si lubet controversiam ad Areopagi deducamus judicium, & Areopagita ferat sententiam: *quòd nihilò secius* (Dionysius de divinis Nominibus c. 2.) *ac prima DEI Filii originatio, ipsa JESU in carne apparitio ineffabilis sit, linguæ omni, & omni ignota intelligentiæ - - à sæculis & generationibus absconditum mysterium.* Sed nondum quod præponderet mysterium, bilancis edicit lingua; imò jam dixit: hoc præponderat, quod descendit; VERBUM Caro factum descendit; & DEus in humilitate apparet admirabilior, quàm in Majestate. Petiverat Ezechias (4. Reg: 20. v. 9. & 10.) salutis suæ signum, & datum est ei signum Incarnationis, ut nonnulli interpretantur: *vis ut ascendat umbra decem lineis, an, ut revertatur totidem gradibus?* quærit Isaias ex Ezechia, sed hic reponit: *facile est umbram crescere*, facile est, ut sol justitiæ ascendat super novem choros Angelorum, & sedeat in throno DEI Patris in unitate Spiritus Sancti. *Neque hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus*, & fiat minor Angelis.

Descen-

Descendit novem lineas (commentatur eruditissimus Mendosa) *id est novem Angelorum choris, & minor illis effectus est, in natura humana*; hoc enim, verò; (exclamatio est Damasceni Orat: de Nativ:) *quòd unum sub sole novum est, infinitámque DEI potentiam declarat, quid enim majus, quàm DEum hominem effici.* Huic consonat Salmeron: *quid magis novum, aut insolitum, quàm DEus, & homo, Mater, & Virgo, viator, & Comprehensor, Dives, & pauper, sapientia, & infantia, potentia, & infirmitas, Innocentia, & pœna.* Sed porrò ineffabilia non ausim prosequi; concludat, qui volet pro Sanctissimæ Trinitatis ineffabilitate, non refragor, concludo & Ego pro Trinitate, sed nova illa, & admirabili priori dissimiliter simili, quà DEus factus est homo: in Incarnationis novo mysterio DEus quoque Trinus est, & Unus: : illo in mysterio DEum adoramus Unum in Substantia, Trinum in Personis, in hoc veneremur Trinum in substantia, Unum in Persona; prior Trinitas ex se est, altera ex se pariter, & ex nobis est; in illa alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, Unus autem DEus. In hac aliud est Deitas, aliud anima rationalis, aliud Caro, unus tamen DEus-Homo, & una Persona Christus. Si ergo ab æterno uno tantummodo *Trinus, & Unus, DEUS* fuit ineffabilis, altero modo, dum redditus est *Unus, & Trinus*, novæ ineffabilitatis mysterium adoremus.

 THE-

THESES THEOLOGICÆ
EX PRIMA PARTE.

XII. NOn potest ratione purè naturali metaphysicè, vel physicè demonstrari exercita, & actualis Angelorum existentia: Angeli non componuntur ex materia, assumunt corpora per unionem moralem.

XIII. Ex natura sua sunt incorruptiles; differunt inter se specie, & numero.

XIV. Angeli non indigent specie impressa ad cognoscendam suam substantiam; ad cognoscenda tamen intuitivè objecta extranea, sive materialia, sive spiritualia, indigent speciebus impressis, has habent à DEO infusas, & concreatas.

XV. Angeli superiores habent species universaliores; nullus tamen Angelus cognitione purè naturali futura contingentia quà talia potest certò, & infallibiliter cognoscere, nec quà talia secreta cordium libera.

XVI. Locutio Angelorum fit per species à Solo DEO productas in altero Angelo ad exigentiam Angeli loquentis, conceptum suum ad alterum ordinantis. Angeli per se loquendo, & spectatâ præcisè naturâ suâ potuerunt peccare primo instanti potentiâ physicâ, & morali.

EX PRIMA SECUNDÆ.

XVII. BEatitudo objectiva hominis est solus DEUS; physica, & adæquata illius essentia formalis consistit in visione DEI, & Amore

more amicitiæ. Objectivè sumpta, & in se accepta est ex natura sua incorruptibilis, & perpetua.

XVIII. Ratio Liberi est actui accidentalis, & ab eo realiter separabilis. Dantur actus humani, qui ex objecto suo primario, & fine intrinseco, nec sunt boni, nec mali. In individuo physico non datur actus humanus indifferens.

XIX. Virtus moralis est habitus mentis ex essentia sua formaliter operativus, quô rectè vivitur. Habitus virtutis moralis præcisè in entitate sua acceptus non est essentialiter operativus solorum actuum formaliter honestorum. Dantur in hominibus gratia sanctificante instructis virtutes morales per se infusæ in substantia supernaturales.

XX. DEUS non potest infundere habitum vitiosum. Ratio formalis malitiæ peccati in abstracto sumpta consistit in relatione disconvenientiæ, ac difformitatis cum regulis morum. Nullum peccatum est infinitum intrinsecè etiam moraliter in ratione offensæ.

XXI. Gratia alia est actualis, alia habitualis, ad operandum supernaturaliter meritoriè creaturæ necessaria; actualis gratiæ efficacia consistit in entitate auxilij de se indifferentis connotante futuritionem liberi consensûs per scientiam mediam à DEO prævisi. Gratia habitualis est forma hominem formaliter justificans.

QUÆ

QUÆSTIO VI.

Utrum Angeli in Cælis, an Patres in Limbo ardentioribus votis suspiraverint Incarnationem VERBI?

VIdentis Apocalyptici Propheticâ adjutus pupillâ, oculos in Cœlum elevo, & ad Angelicam volens reflectere Curiam, hanc abivisse conspicio in Exercitum: *Factum est prælium magnum in Cælo* [Apocalyp. 12. v. 7.] hinc Antesignano Michaële, illinc Archistratego Dracone Lucifero: *Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus* [ibidem.] & quæ amabò Angelici belli alea, quod Cælestium Intelligentiarum incentivum dissidij, supernórumque spirituum discordiæ pomum? VERBUM Incarnatum altercantium factum est meta; pro cujus adoratione cum suo Archiduce, fide stabant electi Angeli, Religione pugnabant, fortitudine vincebant, constantiâ zelabant, & triumphabant; quod superbiâ, perfidiâ, & Invidiâ perversitas Angelica concidens negligebat; Pæana concinentibus victricibus adoratoribus Angelis auscultante aure Apocalyptica Joanne: *& audivi vocem magnam in Cælo dicentem: Nunc facta est salus, & Virtus, & Regnum DEI nostri, & Potestas Christi ejus* [Apocalyp: 17 v. 10.] *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam* [etiam Angelicam; quia] *supra omnem Principatum, & Potestatem, & Dominationem* [ad Ephes. 1. v. 21. 22.] *& cùm iterum introducit primogenitum in Orbem terræ* [de Majestate VERBI Incarnati scribit ad Hebræos Apostolica penna [Cap. 1. v. 6.] *dixit: & adorent Eum omnes Angeli DEI.* Ità nempe Angelica rectè coordinata membra suo avebant Angelorum Capiti indissolubiliter fœderari, ut ex gratia Capitis gloria membris obveniret; unicè voventes, quam in intentione conceperant, in executione complere adorationem, & desideriô desiderantes Illud contemplari VERBUM Incarnatum, quod obaudientibus divinæ Legi ad visionem beatificam Angelicum mentis revelavit aspectum, amplitudinémque desiderij magnitudo gaudij de bono præsenti VERBO Incarnato mensurabit; hinc tanta promptitudine Angelica etiam addicunt obsequia ijs, qui vel in umbram, figuram, & typum Christi sunt electi, & omnium gaudent esse Custodes, quæ VERBO Incarnato sunt obligata, neque Angelicæ dignitati vilescit nuncij interpellatio, quando VERBUM Incarnatum est annunciandum, & exaltandum, quod est gaudium Angelorum, neque illa, quæ tripudians Angelicus spiritus Orbi terrarum annunciabat, solorum hominum erant hilaria: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus* [Luc. 2. v. 10. & 11.] sed & totus Angelicus festiviùm exultat exercitus; *& subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ Cœlestis laudantium DEUM, & dicentium: Gloria in Altissimis DEO* [Luc. 2. v. 13. & 14.] Hinc huic Angelico insistens gaudio Lyranus, illa verba: *Natus est vobis hodie Salvator*, cum alijs ità legit: *Natus est nobis*; quasi Cœlestis ille spiritus voluisset dicere, Salvatorem Neo-natum etiam in Angelorum beneficium esse datum: *Natus est nobis* [inquit in persona Angeli Dionysius Carthus:] *ut fateatur Christum natum non solùm ob hominum salvationem, sed ob Angelicæ quoque reparationem ruinæ.* Beneficium hoc à VERBO Incarnato collatum Angelis clariùs recenset de sua clara valle Bernardus [Sermone 22. in Cant.] *qui erexit hominem lapsum, dedit Angelo, nè caderet, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc de captivitate defendens, & hac ratione fuit utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.* Ardentissimúmque Angelorum desiderium dilucidè prosequitur dilectus VERBO Incarnato in carne Angelus: *Amen Amen*

Amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos DEI ascendentes, & descendentes supra Filium hominis [Joan: 1. v. 51.] En Angelorum desiderium in descensu! *descendunt* [inquit in hunc locum aureè Chrysostomus] *novi, & inauditi illius spectaculi visendi desiderio impulsi - - ideóque accurrunt Angeli, & cùm natus est, & cùm resurrexit, ac cùm in Cœlos ascendit*: & licèt in hoc Primas Naturæ humanæ concedant Angeli, quod super omnes Cœlestes Angelicæ dignitatis virtutes per VERBUM Incarnatum sit assumpta; in hoc tamen pia cient jurgia, amicabilíque lite Amicè contendunt de Primatu; dum agitur, utrùm Angelos inter, & homines desiderium fuerit ardentius; cùm VERBUM Incarnatum utrinque ferventibus esset in suspirriis, & votis; Neque hæc inter bellaria pacis Angelos inter, & homines collisio nato pacis Principi est injuriosa; quia certamen est pro reverentia, & non pro irreverentia, prout Angelos inter, & Angelos prælium ex parte rebellium spirituum incendebatur in Cœlo; nondum tamen palmam Angelicis desideriis de VERBO Incarnando, & lauream gaudiis de Incarnato, & nato salvatore parte non audita altera æquum addicat arbitrium; & hominum auscultet desideria, & gaudia justus Arbiter attendat, & de Cœlo in limbum, ab Angelis ad Patrum suspiria reflectat; atque jam solutis præcordiis de profundis ad Cœlos usque penetrantia Patrum ardentissima audiuntur vota, ferventissimis desideris VERBO Incarnato devota: *rorate Cœli desuper, & nubes pluant justum* [Isai. 45. v. 8.] Angeli, qui semper vident faciem Patris in Cælis, desiderant prospicere in lucem mundi. Populus Sanctus quidem, at nondum Beatitudinis dulcedine potatus, qui sedebat in tenebris, lucem magnam sibi oriri ardentibus desiderijs attinetur; illorum desiderium Beatum prædicat Vates Regius: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* [Psalm. 83. v. 5.] Hujus spe, ac fide plena, sed rei

rei adhuc avida, & egena solatur suspiria: *exspectabam salutare tuum domine* [Psal. 118. v. 166] captivi Babylone Judæi ariditatem desolationis suæ attendentes Cyrum velut rorem suspirabant, prout sensum literalem Isaiæ capitis 25. Cyro, Allegoricum vero Christo attribuit D. Thomas & Lyranus; communior tamen Patrum ex mente Cornelij à Lapide fert sensus; Prophetam visa in Cyro Christi imagine, mox in hunc abreptum fuisse, qui factus desideriorum meta, & scopus Amoris, ad quem Propheta dissimulato tantisper suæ visionis contextu aliás [Cap. 16. V. 1.] subitò conversus ingeminabat: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ*; seu ergo Patrum in sinu Abrahæ inquietè quiescentium intendam suspiriis, seu omnium Justorum prope Christi Adventum in terra degentium observem vota, sacrificia, Orationes, quibus Cœlum velut ære fusum emolliant; non jam unum Danielem ex mente Arch-Angeli divinæ Incarnationis internuncii: *Virum desideriorum* [Danielis 9. v. 23.] invenio; sed universum populum DEI in populum desideriorum transivisse comperio, tanto quidem ardore, ut hunc, nisì fontibus salvatoris restinguendum, non deprehendam, exinde rectè Propheta desideria sua non fami, sed siti [amplior enim potûs in sitiente, quàm cibi in esuriente cupiditas est] comparat: *sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem DEI* [Psal. 41. v. 3.] nam ex mente interpretum, *sitis animæ nihil designat aliud, quàm absentis rei desiderium cum anxietate profecta ex malis, quæ hìc affligunt, & ex dilatione rei desideratæ*; atque ità prope in limbo, quàm in Cœlo, in Exilio, quàm in Patria, in carcere, quàm in libertate, Patres tenebris adhuc involutos, quàm Angelos *splendorem lucis* æternæ jam inhabitantes ardentiùs Salvatorem desiderâsse, VERBUM Incarnatum suspirâsse, concludo, suffragante non solùm desideriorum, sed omnium affectuum, & morum Magno Magistro

Magistro S. Gregorio [8. moral. Cap. 28.] *DEUM Angeli vident* [inquit Ille] *& videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Nè autem sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur, & nè sit in satietate fastidium, satiati desiderant, & desiderant sinè labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sinè fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* & quid Patres? DEUM videre desiderant cum Angelis, & non vident cum Angelis, intueri sitiunt cum Angelis non intuentur, desiderii anxietatem, & laborem non tollit, quæ nulla est satietas. Quia tamen, & ingens desiderij Angelici est ardor, quô flagrant Cœlestes spiritus, illi se submittere, cujus beneficiô sunt, qui sunt Beati; Neque minùs sua obligata censent desideria VERBUM Incarnatum anhelantia per quod præservati, & salvati sunt, quàm Patres, qui per illud reparati sunt ad salutem; magnus utrinque est affectus, nè alterutrum lædat, utrique prærogativam addicit resolutionis arbitrium: Angelorum desiderium solo incitante Amore, fuit felicius, Patrum verò simul urgente dolore fuit ardentius, & intensius; Utrumque secunda consummatione in VERBO Incarnato beatè conquiescit.

QUÆSTIO VII.

An ampliùs boni Angeli faverint, quàm mali inviderint humano generi, gratiam, & gloriam Incarnationis VERBI?

NOn jam Angelos in prælio [Apoc: 12. v. 7.] sed Angelicum favorem cum livore contueor in Duello; altercantis virtutis, & vitij pro bravio scopus est natura humana in divinitatis consortium exaltata, quàm sacrilegè Lucifer cum sua cohorte affectabat, & latrevticè adorabat Michaël cum sua phalange, Ille invidiâ hominem impetit, Hic pietate prosequitur, & conatu suo

suo impius livor piofavori palmam, & laurum, vel eripere vel dubiam reddere acriter contendit: & primam in Arenam prodeat Invidia pessimus optimæ Matris partus repens in infernis; dum natura humana in Filiam DEI naturalem sublimiter exsurrexit, pessimus inquam partus, quando jam ipsa quoque Virtus earum censetur de numero, quæ degenerum filiarum ùtùt probæ dolent se fore parentes; non enim duntaxat *veritas odium, prosperitas superbiam, securitas periculum, familiaritas contemptum*, sed & *Virtus invidiam* parit, quæ genitricem suam viperino morsu continuò lacessit, & ingrata comes, ceu umbra lucem è vestigio insequitur, & claritatem avitam obscurare, conniti audet; & ùt ùt invidia incedat in infimis, eâ tamen eluctatur audaciâ, ut & sublimia infestet: *summa petit livor* [Ovid: 1. Rem:] celsissimóque astrorum radijs in auge prosperitatis, serena felicitate vertici affulgeat phœbus, eminentem, quæ imminuat splendorem, se opponet Cynthia, & hac celerior invidia, ut illustrem fortunam eclipset; enimverò quis altiorem naturâ humanâ honoris indeptus est gradum? ùt quæ portentoso VERBI Incarnati favore sublimissimas Cœlorum transcendit virtutes, & ipsum Divinitatis attigit solium? Attamen eò licèt altitudinis provecta invidam non evasit pupillam, sed caligantis stygis perstrinxit aspectum universæ mortalitati ex Incarnationis splendore imminens decus; hinc acie livoris exagitata nullum non movit lapidem, quo humanæ adversaretur naturæ, jámque in vitæ capite se se capitalem ejus comprobavit hostem; dum Latrevticô DEUM hominem devenerari homagiô reluctaretur, quin tempto, quo fulsurus erat, gloriæ jubare, in Tænari abire praelegit ditionem, quam sublimiori gratiæ, & gloria locandam essedo suspicere humanitatem; cui, non solùm cuncta in Universi emporio spectabilia DEus subjecit, hominem tamen Angelis non subdidit, sed, vice versa Angelos hominis decrevit esse Ministros, ipsam

ipsámque naturam humanam ad excelsiorem Angelis gratiam, & gloriam elevavit, quin & ad ipsam evexit divinitatem, quod Princeps superbæ Angelicæ invidiæ erat caput; *maluit* (teste Chrysologo) *in diabolum commutari, nè hominem plenum gratiâ videret.* Argumentum hoc urget Hipponsis Præsulis [lib. 14. de Civit. (cap. 11.) Authoritas: *posteaquam*, ait, *superbus ille Angelus, ac per hoc invidus per eandem superbiam à DEO ad semetipsum conversus, & tyrannico fastu gaudere subditus, quàm esse subditus eligens, de spirituali Paradiso cecidit.* Et Cyprianus (in opusc: de zelo & livore) de invidentia exclamat: *O quale malum est, fratres dilectissimi, quo diabolus cecidit, quo circumveniri, & subverti alta illa, & præclara sublimitas potuit.* Hinc illa invida in DEUM & hominem Sathanæ odia: *in Cælo concepit dolorem* [Bern: Serm: 17. in Cant:] *in Paradiso peperit iniquitatem*: imò si per invidas stetisset vires, generis humani in radice daturus erat excidia orcinus procustes, ut nè divina suum sortiantur finem placita, & VERBI in carne genethlia evertantur; hanc *rabiem livoris acerbi* [Claudian.] Ipsa Incarnata expressit Veritas [Joan: 8. v. 44.] *ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Sed enim quæ amabò infanda cædes projecti adeò cognominis infernali lavernioni inussit stigma? haud equidem illam reor, qua in Protaplastum desævijt; quando unico virulento linguæ ictu totiusposteritatis edidit stragem. Verùm illam rectiù censuerim, quam sub geneseos spirabat exordium: siquidem *homicida erat ab initio*; dum quippe dignitate generi humano accessura tactus, Theandricam humanitatem rabidis livoris impeteret telis, *invidia nàmque telum est diaboli* (ait Joan. Cassian.) tunc proinde immane illud moliebatur facinus, ob quod infami homicidæ notatus est nomenclatione, quod ipsum à Christo præmissa innuere videntur verba, quibus lividam invidiæ increpat turbam: *vos ex patre Diabolo estis, & desideria*

Patris

Patris vestri vultis perficere; ille homicida erat [Joan. 8. v. 44.] & quod amabò desiderium opere invida exequi satagebat synagoga, nisì, quem ex invidia Præsidi Pontio traditura erat, *DEI* videlicet *hominis internecionem? ergo hanc* [infert eximium Lumen Suarez] *ab initio desideravit diabolus, & ratione illius dicitur fuisse homicida.* Hem! quàm invida crudelitate humanæ naturæ *gratiam*, & *gloriam* Incarnationis insectabatur Orcus! huic tamen Orcino livori palmam extorquet Angelicus favor; eò major, quò submissior, & grandior, quò promptioribus obsequiis mentes Angelicæ in gloriosè humilem, & humiliter gloriosam VERBI ferebantur humanitatem, festivioréque jubilo generi humano *Incarnationis* gratulabantur dignitatem; vix enim Cœlicis injecerat spiritibus de altis Mysteriorum montibus umbras Hypostaticæ Unionis fides, & continuò projectâ naturæ propriæ excellentiâ sua Theandricæ humanitati nón modò proposuêre, sed & humillimè obsequia devovêre, quin & Latrevticè homagia detulêre, atque ut animum faventissimum humanæ contestarentur orbi, comissum Angeli prompti obeuntes munus, sub prima humánitatis incunabula velatum à sæculis, Incarnationis revelârunt Sacramentum; testis námque omni exceptione major Magnus est Aurelius [lib. 7. de Civit.] *Ab exordio generis humani Incarnationis Mysterium fuisse Angelorum ministeriô prænunciatum.* Et verò si arctissimum amicitiæ vinculum insigne favoris est testimonium, nemini non liquet Incarnationis Divinæ eminentiam carni nostræ ùt plurimùm Cœlites, & amicissimè favisse, qui enim Adamo, & legifragæ se hostiliter opposuerunt humanitati, dum contra DEUM oblita vilitatis assurgeret, indignationem Angelicam contestante Chrysostomo [homil. 3. in Epist. ad Coloss.] *dissidebat à Cœlo terra, hostiliter adversabantur hominibus Angeli*; Hi, ubi DEI Filius dissimulata Majestate humiliavit semetipsum, & humanæ

næ naturæ indissolubili hypostaticè junxit fœdere, posita in homines hostilitate Angeli pacis deferunt oleam, nec dubitant fidissimi Achatis, quin & officiosissimi, partes muneris complere; hinc Angelicum illud mærentis Agar solamen: *quid agis Agar? noli timere* [Genes. 21. v. 17.] *quid ità?* nempe, *præcesserat?* [verba eximij de Baëza recito tom. 1. de Christi fig:] *data Abrahamo promissio de assumenda Carne ejus à DEI Filio; ubi autem Filij DEI Incarnatio vel apparuit sub umbris, jam nesciunt Angeli habere cum hominibus inimicitias.* Quid pluribus? usque adeò Cœlestium Procerum erga genus humanum necessitudo id egit, ut non modò nè minimùm quidem suo in humanam naturam cederent favore, sed eodem longè inferorum excellerent livori; nam licèt nôssent Angelicæ in Cœlo virtutes se subdendas homini, quem divinè acceperant assumendum, *attamen* [Os aureum loquitur:] *gaudebant de nostris bonis*] quo enim invidentiore insectabatur supercilio virgineum conceptum Draco, eo ferventiore submissione Cœlicolæ Marianum prosequebantur partum; indè tot exantlati labores, addicta studia, quibus Theandricum Angeli, & Archangeli accurabant opus; hinc gestientium ex abundantia gaudentis animi nato VERBO Incarnato tripudia, homini nunciantium hilaria, & gloriam in Altissimis accinentium DEO [Lucæ 2. v. 10. & 14]

QUÆSTIO VIII.

An Archangelicum Nuncium ad Virginem prævenerit, an secuta fuerit VERBI Incarnatio, & ad quæ verba peracta sit?

CAlamum à characteribus revoco, ad VERBUM, ad colloquia, & ad sermones mens, & auris arrigenda est, amplissimæ meditationis occurrunt puncta, quibus magna reflexione *Personas, Verba, & Opera* solerti contemplatione attendam, ingentia comprehenduntur Mysteria, neque licet neglectô superciliô summas intueri Personas, aut projecta obiter auricula maximi momenti auscultare Verba, ponderósissimáve supremis, ùt ajunt, digitis leviter opera pertractare; Personarum si aves eminentiam, hæc in excellentissima Trinitate absolvitur, Una est Divina in DEI Filio, in Gabriele Archangelica altera, tertia humana est in Virgine. Verba itidem ternariò clauduntur: Unum divinum, alterum Angelicum, tertium virgineum est, omnia in Uno Incarnationis negotio consummantur. Neque dum huic Trinitati humana misceri audis, sublimitati derogari concluseris, quando, quod humanum est, supra excelsitatem Angelicam ad ipsam divinitatem est elevatum, neque jam solus Angelus se submittit Virgini, sed & Divinus Ipse Filius ad virgineam Matrem inclinat, hìc quid ampliùs, quàm humanum est, humanum enim est errare, & usque adeò vulgare, ut toti generi humano sit commune, illam si exceperis, quæ divinum conceptura VERBUM sinè originali errore concepta fuit, neque solùm cum Ea Dominus, cùm de spiritu Sancto conciperet, sed & dum Ipsa conciperetur in Gratia, & quæ meruit consensu bonæ voluntatis fieri Mater DEI Filij, ex merito Filij præservata fuit Mater, nè Filiam consensu maligno involveret Pater, Maria unicum Patris æterni semper attendit VERBUM, & colloquio serpentino cum Eva nunquam interfuit, & solùm Angelicis auscultat labiis, quando de hoc loquuntur VERBO, alioquin Angelos ceu Dracones aversatur in Cœlo Mulier fortis [Apocalyps. 12. v. 1. & 7.] & in Paradiso ceu serpentes conculcat (Genes: 3. v. 15.) dum contra divinum VERBUM rebelles VERBO Incarnato homagium protervi detrectant; cæterà ùt ùt modestissii silentij Virgo, in consortio Angelico est facundior, quando materiam discursûs divinum suppeditat VERBUM. At penitiùs Angelico-Virgi-

Virgineo intendam colloquio, ut sublimissimum scrutemur conceptum, & quando, & ad quæ seu labij Angelici, seu Virginei verba VERBUM Incarnatum sit, reverentissima indagine assequamur: Ter locutus est Angelus, bis Virgo. Utrinque summo Mysterio: *Tria enim* (loquor Doctorem Angelicum 3. p. q. 30. Art. 4. in ☉) *Angelus intendebat circa Virginem: primò quidem reddere mentem Ejus attentam ad tantæ rei considerationem, quod quidem fecit eam salutando quadam nova, & insolita salutatione; unde Origines dicit homil. 6. super. Luc. quod si scivisset ad alium quempiam similiter factum esse sermonem* [*utpote, quæ habebat legis scientiam*] *nunquam eam, quasi peregrina talis salutatio tenuisset, in qua quidem salutatione præmisit idoneitatem Ejus ad conceptum in hoc, quod dixit: Gratiâ plena. Expressit conceptum in hoc, quod dixit: Dominus tecum; & prænunciavit honorem consequentem, cùm dixit: Benedicta tu in mulieribus. Secundò autem intendebat Eam instruere de Mysterio Incarnationis, quod in Ea erat implendum. Quod quidem fecit in prænunciando conceptum, & partum dicens: Ecce concipies in utero &c. & ostendendo dignitatem Prolis conceptæ, dum dixit: Hic erit Magnus; & etiam demonstrando modum conceptionis, cùm dixit: Spiritus Sanctus superveniet in te. Tertiò intendebat animum Ejus inducere ad consensum, quod quidem fecit exemplo Elisabeth, & ratione ex Divina Omnipotentia sumpta.* In gemino quærentis, & consentientis Virginis proloquio: *Quomodo fiet istud?* [Luc. 1.] *Fiat mihi secundum Verbum tuum* v. 38. in interrogatione quidem, quo [ùt rectè hìc explicat D. Thomas] non fuit VERBUM dubitantis, sed jam credentis, vel admirantis, summa DEIparæ elucet prudentia, in consensu verò maxima virtus; sublimis videlicet intellectûs est divinum placitum cognoscere, & excelsæ voluntatis huic citra moræ hiatum consentire, magnarúmque mentium DEO intendentium maxima est:

vidimus, & venimus [Matth. 2. v. 2.] & hujus divinæ ablegationis internuncio Archangelo reverentissimè attendentibus, & observantibus negotium, oboritur ambiguum, utrum in hoc ipso sublimis Mysterij tractatu Archangeli cum Virgine, VERBUM dignatum sit Incarnari; utrùm verò divina hæc Incarnatio totum hoc colloquium sua prævenerit dignatione? Ratio & Argumentum dubitandi de visceribus causæ petitur; quando cælicus humanæ salutis, & læsæ Divinæ Majestatis reconciliandæ Caduceator in virgineam ædiculam se demittens, in has suæ legationis indices prorumpit voces: *Ave gratiâ plena Dominus tecum* [Lucæ 1. v. 28.] & hoc suo internuncio cogitandi relinquit discrimen, *salutantísne*, an *affirmantis* hæc sit formula? itâ ut Incarnationem VERBI non tam fore Virgini annunciet, quàm de hac jam peracta Virgineæ Matri aut gratuletur, aut cum ipso hoc suo alloquio: *Dominus tecum*, VERBI Incarnationem asseveret, quasi hac insinuaret Oratione, *DEI VERBUM tecum est.* Quorundam antiqua censebat opinio [ùt Suarez refert hìc disp. 8. & 9.] Angelum tunc nunciâsse, sed Dominum jam conceptum fuisse ex Virgine, atque huic reflexioni, (ùt quidam vult,) favere videtur Mariophilus mellifluus (Serm. 2. super missus,) itâ obstupescens: *Hoc mirandum, quomodo, qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine?* neque abnuere Aureus Orator; *ergo erat* [concludit Chrysologus Serm: 141.] *cum Virgine, qui ad Virginem miserat, præcessit Nuncium suum DEUS.* Alij censent ad illa salutationis Angelicæ Verba: *Dominus tecum*: VERBUM Incarnatum esse, unde in Liturgia Chrysostomi effatum est: *Gabriele dicente Tibi: Virgo Ave, cum voce Incarnatus est omnium DEUS in Te Sacro-Sancta Arca.* Et Hipponensis Præsul (Serm. 14. de Nativ.) *Dominus tecum* [inquit] *sed plùs quam mecum, in me autem licèt Dominus, memet ipsum creârit Dominus; itâ est*

Dominus tecum, ut sit in corde tuo, ut sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam. & Claravallensis Abbas (Homil. 3. super missus est) ità Angelum loquentem inducit: *Dominus tecum, non solùm mente, sed etiam ventre.* At Evangelicæ veritati conformiùs est prius consensum expressum requisitum fuisse à Virgine, quàm divinum conciperet VERBUM, atque adeò ad illa Virginei consensûs verba: fiat mihi secundùm VERBUM tuum, Divinum VERBUM fuisse Incarnatum. Argumentum Evangelica probet historia, Mysterium circumcisionis referens [Lucas cap. 2. v. 21. ait) *vocatum est Nomen Ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur;* ergo evidenter sequitur, quando Angelus dixit: *& vocabis Nomen Ejus JESUM* (Lucæ 1. v. 31.) VERBUM in utero nondum fuisse conceptum, atqui antequam hoc enunciaret, jam annunciaverat: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum* (v. 28.) ergo ad illa verba · *Dominus tecum*, nondum Divina Incarnatio exacta fuit, & multò minùs antè. Item ex ipso Angelico hoc patet colloquio, ubi verbis salutationis subdit Gabriel: *Ecce concipies in utero, & paries Filium* (v. 31.) utroque notanter futurum signans, & subinde interrogante Virgine: *Quomodo fiet istud?* (v. 34.) rursùm de futuro inquit Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit Tibi* (v. 35.) à consensu autem Virginis mox VERBUM Incarnatum fuisse communis Patrum est consensus, ùt videre est in Damasceno lib. 3. de Fide cap. 2. Augustino Serm. 2. de Annunciat. Ruperto lib. 1. de Oper. Spirit. Sanct. cap. 9. & Euthymio: *Discessit (inquit) Angelus ab ea simul, ac jam per Verbum suum conceperat;* præstito autem Mariano annutu discessit, obtento scilicet jam suæ expeditionis principali fine, & scopo, in Divinæ Incarnationis complemento. Et Ipsa virginea hoc comprobat Mater, quæ ùt primùm transacto, Legationis Angelicæ negotio,

negotio Mater Salvatoris salutem allatura Joanni discessit cum festinatione in civitatem Juda, & salutavit Elisabeth jam Mater DEI, admirans enim Joannea Mater exclamat: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me* (Luc. 1. v. 43.) Neque ulli Authoritati refractaria est conclusio; Dominum enim priùs fuisse cum Virgine, rectè in fidei, charitatis, gratiarum, & specialium beneficiorum plenitudinem refertur, quibus dignum DEO habitaculum effici præpararetur, & mereretur. Hinc S. Thomæ assertum (quæst. 30. Art. 4.) per hæc verba: *Dominus tecum*, Angelum expressisse conceptum. Suarez ità declarat Sanctum Doctorem participium locò Nominis substituisse, ac si diceret nunciâsse illi Filium, & significâsse esse electam, ut singulari modo Dominus in Ipsa esset. Patres ergo (verba sunt Suarez hìc) intendunt docere conceptionem esse perfectam in toto illo colloquio salutationis Angelicæ, & totum illud comprehendunt in primis illis verbis salutationis, deinde ad summum volunt Angelum in illis verbis: *Dominus tecum*, indicâsse conceptum, eo sensu, quo Angelicus Doctor hoc intellexit; explicant autem illa verba de præterito, ac si Mysterium jam tunc fuisset factum, vel quia loquuntur de toto illo colloquio, ac de uno momento, vel quia jam ità res instabat, ut quasi facta censeretur. Præsertim, quia more prophetico, potest rectè intelligi dixisse Angelus rem, quam certò sciebat statim futuram, ac si jam esset facta, ità eximius Doctor, & pleniorem Patrum sensum subsequa elucidabit quæstio.

QUÆSTIO IX.

Ex quibus Capitibus congruum fuerit priùs Anunciari Virgini, Ejusque consensum requiri, quàm VERBUM Incarnari?

DIvina VERBI Incarnatio summum Omnipotentiæ portentum, maximum sapientiæ artificium, inscrutabilis Bonitatis excessus, & grande infinitæ Munificentiæ beneficium, eò augustius, quò magìs indigis, & eò dignius, quò magìs indignis elargitum est, ùt ùt tamen *indigno* humano generi collatum, enimverò *invito* conferri noluit VERBUM Incarnatum, nè propè nomen beneficij amitteret; siquidem ut Benevolentiæ suæ constet proprietas, non satìs est propitio donare animo, sed & non averso munus recipere affectu. Decreverat altissimô Incarnationis Sacramentô humanæ mederi infirmitati altera è Triade Divinissima Persona, tantúmque id complectebatur beneficentiæ, & in ratione doni altissimum, ut cognitionem etiam Archangelicam solo naturæ nixam ingenio transcenderet, spem verò multis parasangis supergrederetur; dissimulata tamen amplitudine DEUS veniæ Largitor, & humanæ salutis Amator placidè decrevit Caduceatore Angelo pro gratissima reconciliatione hosticæ adamiticæ propaginis virgineæ Mediatricis explorare mentem, præstolari consensum, nè, ùt Ipse fuerat promptissimus Incarnari; nam *exultavit ùt gigas ad currendam viam, à summo Cœlo egressio Ejus* (Psal. 18. v. 7.) invito, sed pariter prompto assensu conciperetur: *in mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à DEO in Civitatem Galilææ, cui nomen erat Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph* (Luc. I. v. 26. & 27.) Hinc Mysterij commendatur Majestas, pro quo dignè tractando divinitus præmonetur Virgo prudentissima; indè Virginis inclarescit dignitas, & DEI erga Virginem elucet benignitas Eam in tanti negotij consortem eligentis, Divinæque Sapientiæ eminet profunditas, voluntati DEI dissentiente Muliere, & Viro, lapsum humanum genus, consentiente Virgine, & Viro rursum erigere constituentis, humanissima, Matris, & Filij adunatur conformitas, quando JESUS *oblatus est, quia Ipse voluit* (Isa.

(Isa 53. v. 8.) & MARIA, quia voluit DEUS, consensit, atque tandem conformis utrinque patescit humanitas, Matris quidem in annunciatione humillimè se inclinantis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm VERBUM tuum.* (Luc. I. v. 38.) Filii verò in Incarnatione inclinatissimè se humiliantis: *Humanitas apparuit Salvatoris Nostri* (ad Tit. 3. v. 4.) super hac Sententia candidum suum aperit calculum Mellifluus (homil. 4. super Missus est) dum ea potissimùm de causa de Incarnando Numine præmonitam affirmat DEIparam, ut grata priùs mente, quàm fœcundato corpore Cœlo descendentem exciperet DEUM. *Sic pius Dominus* (verba sunt sacri Doctoris) *dum nos prævenit tribuendo, quod tribuit gratis, agit; nè gratìs tribuat*: Ulteriorem hujus annuntiationis deducit causam apud Theophilum Raynaudum (tom. I. lib. 3. sect. 2.) Guilielmus Pamus (ad cap. I. cant.) Incarnandus DEI Filius ex Virgine (inquit ille) præmisit ad eam unum ex familiaribus suis, ut auriculam Ejus revelaret, & arcano, quod absconditum fuerat à sæculis, & generationibus reserato consensum, & cooperationem ejus flagitaret. Quippe nolebat Omnipotens suæ Incarnationis miraculum operari in Ipsa, non cooperante Ipsa, nec carnem sumere volebat ex Ipsa, non dante Ipsa; itáque non tantùm carnem ex Ipsa suscipere volebat, sed etiam ab Ipsa, ità cit. Author. Ad hæc sublimiori modo saluti nostræ oportebat procurari remedium, atque olim in mortem nostram exitium fuerit constitutum, hìc verò ex dormiente protoparente nostri interitûs radix Eva est assumpta, congruum itáque fuit, ut ibi à vigilante Virgine, intermediantéque promptissimo ejus assensu salus nostra originem duceret; quod apto comparationis discursu deducit (Chrysol. Serm. 142.) *audîstis* (inquit) *agi, ut homo cursibus iisdem, quibus delapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam, agit cum Maria Angelus, quia cum Eva Angelus egerat de ruina, ut nostra perditio-*

ditionis conveniens nostræ reparationis principium re-sponderet; Unde antè in consilium animus Virginis vocandus, ínq; assensum inclinandus fuit, quàm in Matrem DEI à Majestate eligeretur: *Virgo Regia* (testimonium est Leonis Papæ serm. 1. de Nativ.) *Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu divinam, humanámque Prolem priùs conciperet mente, quàm corpore*; ut ità sufficienti virtutum apparatu tanto Hospiti prompta occurreret, prodromo Archangelo præmoneri Illam decuit, nè minùs expedita inquilinum reciperet DEUM. Quid ? quòd legibus matrimonialibus cautum sit, connubia non inire, nisì parte utraque præbente assensum fœdera firmentur; in Theandrica verò conjunctione humanum genus in felicissima vocatur connubia (teste Apostolo 2. ad Cor. cap. 11.) *despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo*; necessum itáque fuit cœlestis Paranymphi annunciatione virginis explorare mentem, quàm universa mortalium natura in sponsalitia fœdera susciperetur, *ut ostenderetur* (de hoc agens inquit Angelicus) *esse quoddam spirituale Matrimonium inter Filium DEI, & naturam humanam, ideo per Annuntiationem expectabatur consensus Virginis bono totius naturæ humanæ*; felicissimè proinde antecedente Angelico Proxeneta abundantissima divinorum donorum accedente substantia, opulentissima delata dote, connubia, quod optimè verterunt Superi, pronissimâ in annutum sponsâ faustissimè concluduntur; sinè cujus assensu vota irrita, & salus conclamata fuisset; totum hunc salutis nostræ contractum ardentissimis ad Virginem cœlesti occupatam Nuncio præmissis votis gratiosè, atque ingeniosè, ùt assolet, complectitur Hypponensis Præsul (serm. 18.) *O Beata Maria, sæculum omne captivum, tuum deprecatur assensum; te apud DEUM Mundus suæ fidei obsidem facit. Noli mirari Virgo, nuncio festinanter responde Verbum, suscipe Filium, da Fidem, & senti virtutem.* Ecce (inquit)

Ancilla

Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum. Nec mora, revertitur Nuncius, & Virginalem Thalamum ingreditur Christus. Efficitur subitò prægnans Beata DEI Genitrix, & cuncta per sæcula prædicatur felix.

QUÆSTIO X.

An Archangelus Gabriel Incarnationem annuncians ante suum à Maria dicessum in Virginis Utero VERBUM Incarnatum adoraverit?

PRiusquam ab Angelicæ salutationis Oratione consummatô Divinæ legationis negotiô ad Archangelici homagii attenta devotione reflectam Adorationem, ipsum cœlestem Ablegatum ineffabilis hoc cælico internuncio suscepti beneficii salutari memoria, totiúsque humani generis obligati, & grati animi urgente debito condecet penitiùs intueri, atque reverenti humanitate ante discessum proniùs venerari. Et primùm Excellentia, eáque gemina, una, quam naturæ præstantia, altera, quam Officii conciliat eminentia, se obiicit inclinationi; & dum sacræ, de qua Hierarchia, quóve Ordine hic fuerit Angelus, non exprimant Paginæ, magnitudinem eruditæ pietati meditandam reliquerunt; Mellifluus (hom. 1. de annunciat.) sentit non fuisse de minoribus Angelis, qui frequenter mittuntur, & propterea dici: *Missum esse à DEO*, quod ab eo immediatè intellexerit Mysterium, & ab eodem immediatè missus sit, nullo excellentiori spiritu inter DEUM, & ipsum intercedente, planéque dignitati Mysterii videtur consonum, ut supremus omnium fuerit, quandoquidem suprema legatio illi commissa est, tum pariter, quia missus est ad instruendam Virginem, quæ dignitate & gratia omnibus Angelis superior erat. (Irenæus lib. 5. contra Hæret. cap. 25.) *Archangelum*,

Hesi-

Hesichius hom. 2. de S. DEIpara *Angelorum Principem*. Gregorius hom. 24. in Evang. *Archangelum*, & *summum Angelorum* compellat. Hæc tamen omnem ambiguitatem non tollunt Argumenti ab Authoritate sumpti, quando Ecclesia quoque Michaëlem nunc Angelum, nunc Archangelum, nunc Principem Angelorum compellat; *quia* (inquit Suarez hìc Disp. 9. sect. 1.) *Sicut Nomen Angeli & commune est omnibus cœlestibus, & infimo Ordini accomodatur, ità etiam nomen Archangeli, quanquam una significatione proprium sit secundi Ordinis infimæ hierarchiæ: tamen alia ratione universaliori omnis Angelus, qui primatum aliquem habeat inter cælestes spiritus, Archangelus vocari potest; non constat autem certò, sub qua significatione Gabrieli tribuatur*; ità cit. Eximius; hoc tamen extra controversiam in illorum quoque Sententia est S. Gabrielem de ultima hierarchia fuisse conjecturantium, Eum Caput, atque Principem secundi Ordinis Archangelorum exstitisse, eò, quòd de omnibus Ordinibus postremi duo Hierarchiæ infimæ ad custodiendos homines, résque ad eos pertinentes accurrandas sint destinati, Gabriele verò Ablegato supremum omnium Mysterium annunciatum sit, & quidem eundem fuisse Gabrielem, qui & Danieli (cap. 8. & 9. & Zachariæ Luc. 1.) apparuit, non solùm ex Nomine, sed & officio placet Hieronymo, Irenæo, quia singulæ Hujus legationes ad Mysterium Incarnationis tendebant; nam Daniel nunciavit tempus Adventûs Christi, præclarúmque illud septuaginta hebdomadarum posuit signum; Zachariæ verò illa protulit verba: *Ipse præcedet ante illum* (id est Christum) *in spiritu & virtute Eliæ* (Luc. 1. v. 17.) Neque solùm mentis, sed & corporis in Archangelicam Eminentiam reverenti licèt reflectere aspectu; Archangelum enim Gabrielem in specie humana, exteriúsque sensibili apparuisse Virgini, est ex mente S. Præsulis Mediolanensis (lib. 1. de officiis cap. 8.) & complurium Patrum, fundatúmque est in Evangelica relatione, qua traditur: *ingressus Angelus ad Eam dixit*, & sub hoc: *Dixit autem Maria*: & tandem *discessit Angelus ab Ea* Luc. 1. qui ingressus, & discessus corporalem indicat motum, mutuáque collocutio comprobat sensibilitatem, de qua non abs re fuerit Angelici Doctoris advertere resolutionem (hìc q. 30. Art. 3.) quibus adversis Argumentis opponit: *contra est, quod Augustinus in quodam sermone* (serm. 14. de Nat. Dom.) *inducit Beatam Virginem sic dicentem: venit ad me Gabriel Archangelus facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis, sed hæc non possunt pertinere, nisi ad corpoream visionem, ergo corporea visione Angelus annuncians B. Virgini apparuit*: Cujus apparitionis triplex convenientiæ adjungit Argumentum: primum est ab ipso ablegationis negotio: *venerat enim Angelus annunciare Incarnationem invisibilis DEI, per quam visibilis fieret; Unde etiam conveniens fuit; ut ad hujus rei declarationem invisibilis creatura formam assumeret, in qua visibilis appareret.* Secundum est à dignitate Matris DEI, *quæ non solùm mente, sed in corporeo ventre erat DEI Filium conceptura, & ideo non solùm mens Ejus, sed etiam sensus corporei erant visione Angelica refovendi.* Tertium *congruit certitudini ejus quod annunciabatur: ea enim, quæ sunt oculis subjecta, certiùs apprehendimus, quàm ea, quæ imaginamur*; Unde Chrysostomus (hom. 4. in Matth.) dicit: *quod Angelus non in somnis, imò visibiliter Virgini astitit: nam quia magnam valde revelationem accipiebat ab Angelo, egebat ante tantæ rei eventum visione solemni*; ità Angelicus; & relata jam grati animi humana reflexione ad Archangelum, nunc humanitatem Archangeli erga VERBUM Incarnatum pensemus; quando in latreuticum homagium expeditos humanissimos attendit Angelos Gentium Doctor (ad Hebræ 1. v. 6.) & *cùm iterum introducit* (cælestis videlicet Pater) *primogeni-*

mogenitum in Orbem terræ; dicit: & adorent Eum omnes Angeli Ejus. Cui de Incarnato disserens Numine subjungit Novarinus: *Adoravit & Ipse Gabriel cum illis*; & an in Adorationis homagio lentulum fuisse Archangelum inhumana censebit ratio? qui omni celeritate ocyor VERBUM Incarnandum annunciavit, & sinè mora Incarnatum adoravit, & ex Damasceni Oraculo, quidni Gabriel *Angelorum Antesignanus* in VERBI annunciatione, pariter in adoratione fuerit Præcessor; primas proinde pendendi honoris prona humanitate sibi vendicat partes Gabriel, qui divinitatem Humanitati jungendam in Theandro ex omni Angelico choro delectus nunciavit; proinde ùt primùm virgineum labium expetitum à DEO, & toti humano generi salutarem expressit consensum: *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* (Luc. 1. v. 38.) Lunato prolabitur genu Archangelus, sinuatóque pectore in assumpto corpore, submisissimáque Angelicæ mentis reverentia procumbit Gabriel, gemini homagii binam præstiturus venerationem, Latrevticam unam, quá VERBUM primò Incarnatum primus adoret, alteram Hyperdulicam, quâ primò Matrem DEI primus honoret. Cui utrique reverentiæ calculum suum submittit Cornelius à Lapide ità de hoc disserens: *Creditur Gabriel flexis genibus salutâsse Virginem, atque hoc situ toto Legationis suæ tempore permansisse, tum ut Virginem DEIparam revereretur, tum ut VERBUM in ea Incarnatum adoraret.* Primæ Magnitudinis sidus in Cœlo Lucifer sui fulgoris sideratus decore, radios suos Divino Soli in Virgine refragatur submittere, & VERBUM Incarnatum in Virgine abnuit adorare, ad æternas damnatus tenebras superbiæ Dux una tertiam partem Angelicam stellarum in perpetuam pertraxit noctem; felicior Lucifer Divinum solem Gabriel annunciat Virgineæ Auroræ, & Humanitate velandum in Virgine revelat, & qui huic ante suam Beatitudinem, nube

nube carnis velato Soli suos Divino decreto conformes in intentione promptus submisit radios; jam beatus in executione, totus pronus adoratione substernit, & restantes Angelicas, & præstantes duas partes stellarum ad Divini solis in Virgine Adorationem trahit, & totum humanum genus in supplementum Angelicum desideratæ tertiæ partis, sic DEO, & Incarnato Divino VERBO decernente, manuducit, atque ità in devotionis, & adorationis homagio humanissimè manens apud utrumque, VERBO Incarnato Angelorum Domino, & DEIparæ Angelorum Dominæ humiliimè se submittens Archangelus recedit â Virgine; & redit ad DEUM.

THESES THEOLOGICÆ
EX SECUNDA SECUNDÆ.

XXII. Fides Theologica non potest niti ulla ratione humana, neque Authoritate infallibilis Ecclesiæ ùt motivo, sed objectum illius formale est sola Veritas prima in cognoscendo, & dicendo.

XXIII. Revelatio privata ad Fidem Theologicam, non Catholicam, purè existimata ad neutram sufficit; objectum formaliter implicitè revelatum pertinet ad fidem divinam.

XXIV. Non potest DEUS doctrinam falsam verô miraculô confirmare, nec habitum erroneum infundere. Benedictum XIII. esse verum Pontificem Fide Divina credimus.

XXV. Spei Theologicæ objectum formale, prout importat erectionem animi, consistit

ſtit in tribus prædicatis divinis: Omnipotentia, Fidelitate, & Miſericordia. Credens revelatam ſibi damnationem non poteſt Theologicè ſperare ſalutem. Objectum formale Charitatis Divinæ eſt ſola DEI Bonitas abſoluta, prout importat collectionem omnium perfectionum, per quas DEUS in ſe Bonus, & Beatus eſt.

XXVI. Lex formaliter ſumpta, prout in Legislatore, conſiſtit in ſolo actu voluntatis Legislatoris; ut ſubditos obliget in actu ſecundo, requiritur Legis cognitio, non tamen acceptatio ex parte ſubditi.

XXVII. Lex naturalis ex ſuppoſitione conditæ creaturæ proximè liberæ eſt neceſſaria. In lege divina poſitiva non poteſt diſpenſare Pontifex. In naturali nec ipſe DEUS.

XXVIII. Lex humana poteſt obligare in conſcientia ſub culpa Theologica. Eccleſiaſtica probabiliùs obligare poteſt etiam ad actus purè internos. Dominium duorum in ſolidum etiam inſtantaneum repugnat.

XXIX. Simplex, ſeu ſemper revocabilis, & licitus uſus facti etiam uno uſu rei conſumptibilis eſt ſeparabilis ab omni Dominio. Judex non poteſt licitè damnare, quem privatâ notitiâ ſcit eſſe innocentem.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Cui omnium primo facta ſit Incarnationis revelatio?

PORtentoſis ſinuoſum mæandris Angelicæ quoque mentis tranſcendens ſublimitatem, & omni creatorum ingeniorum ſubtilitati ſoliditate Myſterij impenetrabile in paradoxo complexo eſt Ænigma: *Homo-DEUS*, *VERBUM-Caro*, in quo involuta ſphingis oracula revolvuntur in fabulam, ad quod obmuteſcunt Oedipi, in cujus comparatione non ampliùs intricantur Gordij, & omnis humanarum difficultatum Labyrinthus complanatur in apricum, tantámque, poſtquam in eo ipſe DEUS, aliàs ubique conſpicuus, dicitur *abſconditus*, ſacratiſſimum hoc ænigma illuminatiſſimis etiam pupillis offundit caliginem, ut illud Flaminum Ægyptiorum Triverbium, cùm in DEUM intenderent mentis obtutum, contentiſſima voce cum hominibus conclament Angeli: *Tenebræ! Tenebræ! Tenebræ!* quibus adeò delitet obvolutum Incarnationis Sacramentum; ut nè perſpicaciſſimi quidem ingenij ſole illuſtrari patiatur, quod Baſilij, & nullius non conſenſu *fuit Myſterium, quod in hodiernum uſque diem Myſterium permanet, nec unquam Myſterium non erit*; & verò neque mens ulla ænigmaticæ huic conſentiret veritati, niſi Veritas æterna revelationis virtute intellectum Fidei feciſſet vectigalem, & apertô, quæ alia eſſe non poterat, Divina revelatione Myſteriô, cælo, terræque tam illuſtre apparuit, ut & Gentilium illuceret cœcitati, & ceu videntes prophetica recluderent labia, Chriſtúmque Gentiles vaticinijs prænunciarent (prout cum PP. docet Angelicus 2. 2. Qu. 2. A. 7. ad 3.) providentiſſimè increata ità diſponente Sapientia, ut qui non modò populi electi, ſed Gentium quoque expectatio futurus erat, & Salvator, Gentilium quoque Oraculis prædiceretur;

retur; hinc ordinatè Abulensis (in c. 5. Matt. quæst. 92.) triplicem distinguit Prophetarum classem: nimirum Prophetas Judæorum, Gentilium, & Prophetas Christi, de pluribus pro rei veritate sequentia sufficiat dixisse in testimonium: Balaam, quem S. pagina (Num. 22. v. 5.) vocat Ariolum, celeberrimum illud principaliter applicandum Messiæ, & minùs primariò Davidi, ùt passim SS. PP. exponit Authoritas, propheticè protulit effatum: *Orietur stella ex Jacob, & consurget Virga de Israël* (Num: 24. v. 17.) vaticinium alterum Sibyllarum de Christo refert Clemens Alexander. (lib. 6. strom.) sic mentem suam declarans: *libros quoque græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum DEUM significet, & ea, quæ sunt futura; & Hystaspen sumite, & legite, & invenietis DEI Filium multò clariùs & apertiùs esse scriptum &c. - - & Ejus tolerantiam & adventum.* Unde & Gentiles primævos Christianos (Teste Origine lib. 5. contra Celsum) Sibyllistas vocitârunt; neque his vaticinijs refragari censetur Ecclesia, ità in lugubri de Christi Judicis adventu Threnodia concinens: *dies iræ, dies illa, solvet sæclum in favilla, teste David cum Sibylla:* Unius Erythrææ, cujus, ùt loquitur Abulensis (in Deut: cap. 18. quæst. 5.) Multa dicta Ecclesia canonizavit, clarissimum subsequens de Incarnatione VERBI est præloquium:

Cerno DEI Natum, qui se dimisit ab alto,
Ultima felices referent cùm tempora soles,
Hebræa quem Virgo feret de stirpe decora.

Ejusdem etiam de Christi ad judicandum orbem adventu extat Acrostichis apud S. Aug. (lib. 18. de Civ. DEI cap. 23.) quam Is sibi à Flaviano Africæ Proconsule, Viro multæ doctrinæ in Græco codice exhibitam fuisse asserit, in qua versuum initiales Literæ conjunctæ reddiderunt voces: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ id est: *JESUS Christus, DEI Filius Salvator*; quibus adhuc unum, cujus citatus meminit Angeli-

gelicus, & Zonaras (tom. 3. Anal.) fide refert historica, lubet annectere, tempore scilicet Constantini Augusti, & Irenæ Matris ejus inter fodiendum in Thracia inventam esse cistam lapideam humanum continentem cadaver, in pectore laminam auream attinens, incisis in ea græco textu literis hujusmodi: *Christus nascetur è Virgine, & credo in Eum. O Sol sub Irenæ, & Constantini temporibus rursum me videbis.* Neque deest, qui cadaver hoc Platonis fuisse autumet. Atque si tanta in umbris Gentium de Mysterio Incarnationis, ità ordinante Numine, affulsit lux, quantum non Angelicis mentibus, Populóque DEI de Eo inclaruerit jubar? & in hoc à deductione thematis non petitur arbitrium, sed cui? hominíne, Angelóve reconditi à sæculis Mysterij velamen primùm revelari obtigerit? decidendum est; & ut ordiamur à Capite, in generis humani Protoparentem, & Omnipotentis dexteræ Protoplastum conjiciamus animum, huic per somnium (Genes. 2 v. 21.) non somniata de VERBO Incarnato, sed clarissima oboritur Lux; quando ex mente Augustini, Richardi, Bernardi &c. tunc Eidem aperta fuit Filij DEI Incarnatio; hinc purpùratus Dalmata facilè Principem celebrat Adamum, qui in vitæ capite Theandricum Ecclesiæ retexit Caput, & de VERBO subinde carnis habitu investiendo Princeps tulit vaticinium: nam *primus Vates Adam* (inquit Hieronymus) *de Christo, & Ecclesia prophetavit, quòd reliquerit Dominus Noster, atque Salvator, Patrem suum DEUM, & Matrem suam cælestem Jerusalem, & venerit ad terram propter suum Corpus Ecclesiam, & de suo Eam latere fabricatus sit.* Sed ne primas revelati Mysterij primo homini deferat discursus, contendunt Angeli, & Protoparentis prævertentes Genethlia, salutaris notitiæ hæc sibi vendicant primordia, quando in naturæ Genesi perinde, atque in Hypostaticæ Unionis agnitione Principatum Adamo, totique posteritati præripiunt Principes Spiritus, & pro sua parte Theo-

Theologici judicij Sententiam requirunt, quod Doctoris Angelici decernit labio (1. p. quæst. 64. a 1. ad 4.) *dicendum: quòd Mysterium Regni DEI, quod est impletum per Christum, omnes quidem Angeli à principio aliquomodo cognoverunt.* Et attenta, quæ ad Angelos emanârit Lex: *Cùm iterum introducit Primo-genitum in Orbem terræ, dicit: & adorent Eum omnes Angeli DEI* (ad Hebræ. 1. v. 6.) Eximiam suam mentem pandit Suarez: *decuit enim hoc præceptum datum esse Angelis etiam Viatoribus, non solùm erga Filium ut DEUM, sed etiam erga Christum*; enimverò, si Christus non humanæ duntaxat Universitatis, sed peræque totius Angelicæ Communitatis suspiciatur Caput, quidni mystica Ejus membra Mentes illuminatissimæ sui probè gnaræ, Capitis acephalâ minimè laborent scientiâ? & si Theandricæ humanitatis addicuntur Ephebio Spiritus administratorij, quidni imperaturam subinde in carne apprimè noverint Majestatem? Rationis porro auget momentum, quod sacratiores Vatum Angelica opera delitescentium Mysteriorum remotô sipariô haudusquam visas supernas condidicêre veritates; quod ipsum magnum Areopagi lumen illustrat Dionysius (cap. 4. de Cælest. Hierarch.) Angelos illuminâsse, & erudiisse Prophetas de Divinis Mysteriis, quæ per eos revelantur; hæc nempe Divinæ cuncta ritè coordinantis Providentiæ est pragmatica, ut inferiora Superiorum regat guberniô, à quibus ceu influentibus Planetarum Astris suum illa præstolantur influxum; indè legis veterioris sancita Angelorum Magisteriô edidicit Synagoga, ut Galatis (cap. 5.) & Hebræis (cap. 2.) Apostolicus Doctor contestatur; plurimísque liquet Mysteriorum abdita Angelicâ Pœdagogiâ mortalium animis innotuisse, quin ipsum adeò Incarnationis Sacramentum Archangeli nunciô promulgatum esse Veritatis Evangelicæ testimonium est, Magnúsque adnotat Aurelius (l. 7. de Civ. cap. 37.) ***ab exordio generis humani Incarnationis Myste-***

Mysterium fuisse Angelorum Ministeriô prænunciatum, & præfiguratum. Sublimi Augustini spiritui subscribit Angelicâ pennâ Doctor Angelicus, qui Doctoris Gentium meditans verba: *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit desponsatio Sacramenti absconditi à sæculis in DEO* (ad Ephes. 3.) ità commentatur: *Hoc secretum erat absconditum hominibus, ut tamen Ecclesiæ cœlesti, quæ in Principatibus, & Potestatibus continetur, hoc Sacramentum notum esset à sæculis, non ante sæcula.* (1. p. quæst. 117. a. 2. ad 1.) & quis inficietur hos Cæli Proceres, postquam præstita VERBO Incarnato submissione virtutis callem emensi, ad gloriæ consummationem provectos VERBUM Incarnatum non fuisse contemplatos; quando non postrema perennaturæ vitæ est felicitas decorô & amabili DEI hominis spectaculô delectari, consentiente æternæ veritatis oraculô: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant Te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum* (Joan. 17. v. 3.) attamen, ut & suam in hujus cognitione Mysterij, lubenter, quin & exultanter hoc concedente toto Angelico Choro, nanciscatur prærogativam homo, omnes cum Angelis Archangeli suam sublimem de hoc Mysterio notitiam specialissimæ de VERBO Incarnato agnitioni DEI-paræ Cælorum & Angelorum Dominæ reverentissimè submittunt; gratulatúrque sibi Archangelus Gabriel hoc annunciare dilucidè, quod consentiens Virgo Mater dilucidissimè dispexit, *quia VEBUM concepit*, inquit solertissimus Mariophilus Josephus de La Zerda (Acad. 12. sect. 3. N. 23.) & *peperit, Conceptum & partum Virgineum cognovisse promptum est, ea sapientiæ singularitate, quòd Conceptionis modus, & omnibus esset occultus, & soli Virgini manifestus.* Cui mentem suam conjungit Abbas Philippus (in Cantica lib. 4. cap. 23.) *Veritatem venturam nullus præcedentium sic expressit, quomodo Virgo*

Virgo Sancta, *cui Divina Bonitas hoc concessit*, *ut supra, quàm ab homine, vel Angelo dici posset*, *Incarnati VERBI Mysterium expressiùs & sensibiliùs Ipsa nosset*; neque enim Sanctissima Virgo tam instructa fuit de hoc Mysterio ab Angelo, quàm illuminata à DEO, neque turbatio, cujus Evangelica meminit historia (Lucæ 1. v. 29.) radicata fuit in ignorantia, & naturæ vitio, sed summa in prudentia, & virtute fundata, quod mellifluâ refert elegantiâ Bernardus (hom. 3.) *turbata est*, *sed non perturbata*, *turbata est*, *& non est locuta*, *sed cogitabat*, *qualis esset ista salutatio*; *quòd turbata est*, *verecundiæ fuit Virginalis*; *quòd non perturbata*, *fortitudinis*, *quòd tacuit*, *& cogitavit*, *prudentiæ*: neque abs re fuerit pro colophone Suarez subjungere de hoc mentem (hìc disp. 9. Sect. 2.) *propositum fuit* (inquit) *hoc Mysterium Virgini per verba Angeli*, *quibus excitata mens Ejus*, *& Divina virtute*, *& Lumine interiùs elevata*, *& adjuta perfectissimè concepit Mysterium Ipsum*, *quantum per Fidei cognitionem fieri poterat*, *& ità habuit*, *quidquid perfectionis est in intellectuali revelatione*; hoc tamen intelligi vult de revelatione Ipsius Mysterij, quatenus Virgini facta est, antequam in Ipsa perficeretur; *quia si loquamur* (prosequitur citatus Eximius) *de illo tempore*, *seu momento*, *in quo post plenam Fidem*, *& consensum Virginis*, *VERBUM in Ea factum est caro*; *non est incredibile*, *elevatam esse mentem Ejus*, *ut sia um Viatoris quodammodo transcenderet*, *& Mysterium*, *atque DEUM*, *prout in se est*, *& prout est humanitati conjunctus*, *clarè videret*.

QUÆSTIO XII.

Cur Cœlum Angelorum mediâ quasi horâ altum tenens silentium, *nato subinde in Carne VERBO in festivas eruperit voces?*

Quæ

QUæ non obstupescente animo attonita hæreat lingua, quando gaudiorum Patria, exultantium habitaculum, summæque Majestatis Regia suspensis Organis, festivas abrumpens voces inauditô aliàs attinetur silentiô, Cœlúmque in Laudes Divinas nunquam non vocale; siquidem symbolica Divinæ Gloriæ Animalia requiem non habebant die, ac nocte dicentia: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus DEUS omnipotens*, *qui erat*, *& qui est*, *& qui venturus est* (Apoc. 4. v. 8.) Angelicásque Ecclesia, & continuas Cœlestes auscultans voces, has devota reciprocatione reddit; dum intonat: Omnes Angeli, Cœli, & universæ Potestates, Cherubim & Seraphim incessabili voce proclamant sinè fine dicentes: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Cui Trisagio Terrestres Angeli ter Latrevticè devoti accinunt: *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*; tam insolitâ interpositâ morâ conticescit: neque Cœleste hoc Silentium humano licet controvertere discursu, postquam Apocalyptica Aquila enitens ad Superos, Cælóque aurem applicans, hoc silentium Divina revelatione percepit, & omnibus bonæ Fidei est in confesso: *factum est silentium in Cœlo quasi mediâ horâ* (Apocalyp. 8. v. 1.) Unum proinde superest, tam subiti silentij indagandi parumper immorari rationi: Andreas Cæsar, Aretas, Ludovicus ab Alcasar, Cæli silentium de Angelorum interpretantur modestia, ac reverentia, quâ in Divinam feruntur Majestatem; alij asserunt silentium signum esse laudis, modestæque cujusdam approbationis, quâ Divinæ Justitiæ in castigandis reprobis integritatem, atque æquitatem confitentur Angeli, quò illud spectat (Psal. 64. v. 2.) *Te decet Hymnus DEUS in Sion.*) Ubi hebræa habet Lectio: *Tibi silentium DEUS in Sion*; *Pio enim* (inquit Cornelius à Lapide) *& reverenti silentio*; *aque*, *ac voce*, *& hymnis honoratur DEUS*, Aliorum ex mente silentium notat quasi pudorem, verecundiam, nec non gratitudinem Cœlestium Incolarum, quorum maxi-

maximè proprium eſt, DEI recolere Beneficia, queis ſe ſe ſublimatos ad Gloriam nôrunt. Ribera, & Viegas ſilentium hoc in admirationem referunt; ampliſſimus enim reſeratô Myſterij à ſæculis abſconditi Sigillô, obſtupeſcendi Angelicis mentibus panditur campus; quando primum inſcrutabile intelligunt Conſilium, quô DEUS ſibi proprius, omnibúsque communis, nec jam ſibi proprius, nec communis pariformiter omnibus, ſed quodam modo ſolus proprius hominibus eſſe per Incarnationis Beneficium decrevit; *maximè* itáque prout *potentiæ*, ità & admirationis *demonſtrationem habet, poſſe DEUM in natura eſſe humana* (Baſilius in comment. Pſal. 44.) hinc & Ipſa Virginea Mater ad tanti Myſterij cognitionem attonita: *Turbata eſt non in vultu Angeli, ſed in ſermone Ejus: Non enim Angelum, ſed Verbum Angeli attendebat* (Euſebius in Evang, miſſus eſt.) Cui amicè accordat Chryſologus (Serm: 140.) *venerat Angelus* (inquit) *fortis in bello, mitis in habitu, in ſermone terribilis, & Quam miſſi præſentia parum moverat, coruſcat toto pondere mittentis Authoritas.* Et appoſitè influit Albertus: *turbatur in ſermone, non de ſermone, quia ea, quæ ſermo dixit, Ipſa petivit in Oratione; ſed quia in ſermone ſermonem ad Eam tam humilem convertit, ideo turbata eſt.* Non ſola tamen hoc ſilentium ſibi vendicat admiratio novitate Myſterij conticens, dum tam admirabili modo de redintegranda pace DEUM inter & hominem agitantur conſilia, ſed & ipſa puncta pacis per ſilentium fuiſſe meditatos non inconcinnè ſtatuimus; magnos hoc ità conſtituendi animos addit Magnus Gregorius (hom. 8. in Evang.) *priùs quippe* (ait S. Doctor) *quàm Redemptor naſceretur per carnem, diſcordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate, atque munditia per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longè diſtabamus; quia enim peccando extruſi eramus à DEO, extraneos à ſuo conſortio deputabant Angeli Cives DEI: ſed quia*

nos cognovimus Regem Noſtrum, recognoverunt nos Angeli Cives ſuos; quia enim Cæli Rex terram noſtræ carnis aſſumpſit, infirmitatem noſtram illa jam Angelica celſitudo non deſpicit, ad pacem noſtram Angeli redeunt, intentionem prioris diſcordiæ poſtponunt, & quæ priùs infirmos, abjectóſque deſpexerunt, jam Socios venerantur. Neque diſſidet Mediolanenſis Præſul; *per ſilentium* (inquit) *pax, quæ ab Octaviano Auguſto Chriſto naſcente per univerſum Orbem facta eſt, deſignatur.* Si enim in terram deſcendens hoſtili factioni pacem attulit, an eandem Cœlo exiens in Virginis uterum, amiciſſimis ſuis non reliquerit Princeps pacis; abruptáque ſinè invidia meditatione concepti Myſterij magna reflexione Angelicum ſilentium in vocalem erupit ſolemnitatem in Natali Domini, mellitis labijs invitante Bernardo Angelos (Serm. 2. de Epiph:) *egredimini virtutes Angelicæ, Incolæ Civitatis ſupernæ; Ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate, quo coronavit Eum Mater ſua. His deliciis uſque modò caruiſtis, hanc hactenus dulcedinem non guſtâſtis, habetis ſublimitatem Ejus, ſed humilitatem Ejus non vidiſtis.* Neque opus eſt amicum vobis Cœlum deſerere, ſed mutare, nam Teſte S. Epiphanio (Oratione de DEI-para) *ſtabulum*, quo Dux veſter divertit, *viſum eſt eſſe Cælum in terra.* Nîl adeò pacem ſtabilit, atque partium paciſcentium aliqua Juris ceſſio: Ecce Rex veſter rebellem hominem Cœlica Civitate donavit, ei Jus ad Gloriam conferendo, & quod ampliùs eſt, tam arctò ſe homini junxit fœdere, ut eundem ſibi ſubſtantialiter, perſonalitérque uniret: *factus DEUS Homo, Homo DEUS. Egredimini itáque* (Bernardum itero.) *& videte Regem, licèt enim Regnum Ejus non ſit de hoc mundo, tamen Rex eſt etiam in hoc mundo*: verùm nîl humanitatis in ſe deſiderari patiuntur etiam jam humaniſſimi Angeli, ordinatiſſimæ Angelicorum caſtrorum Acies ſtipendia ferentes ſub ſignis humaniſſimi Ducis, de quo audiatur

Aurelius (Serm: 8. de verbis Apostoli.) *non liberaretur humanum genus, nisi sermo DEI dignaretur esse humanus: Nam & homo ille dicitur humanus, qui se exhibet hominem, & maximè, qui hospitiô excipit hominem; si ergo humanus dicitur, qui in domo sua suscipit hominem, quàm humanus est, qui in se suscipit hominem.* Ducis inquam sui exemplô, ipsi quoque perhumani vota invitantis præveniunt Angeli: *subitò enim facta est multitudo militiæ Cœlestis Exercitûs* (Luc. 2. v. 13.) non jam armis flammigeris (ùt quondam ante paradisi fores) terribilis: sed pacis oleâ cunctis amabilis, Principis pacis effert Gloriam, & hominibus festivos inter concentus annunciat pacem; priùs silentio magnitudine Mysterij attoniti Angeli, & DEUM absconditum in humanitate, & Christum in utero Virgineæ Matris abditam sola interna contemplatione venerantes, nunc verò postquam in nativitate prodiens in publicum, dum Augustè conscriberetur universus Orbis, notum fecit Dominus Salutare suum, non jam contenti Angelici Spiritus esse solùm Intelligentias, etiam vocalitate sua gavisi sunt esse humani, & tripudiantibus vocibus Domino Angelorum se conformare, qui *exultavit ùt Gigas ad currendam viam suam* (Psalm. 18. v. 6.) *gaudent Angeli* (applaudit Novarinus) *de nostro non secus, ac de suo bono, nobis salutem nostram gratulantur, gratulantur pacem ab omni invidiæ livore penitus alieni.* Ulteriorem hujus pacis sensum promovet Theophylactus, Euthymius, & Nissenus (in aurea catena) *pax sit hominibus: ijs inquam hominibus, quos DEI Gratia hac, & bona voluntate, ac benevolentia sinè illorum merito prosequitur, & dat eis Salvatorem, & Reconciliatorem talem, qui pacem inter Homines, DEUM, & Angelos, inter Cœlum, & terram componit.* Pro quo Angelici vocalis applausûs coronide homo plurimis his divinis Gratijs, & Angelicis beneficiis, quin & obsequijs præventus, & concomitanter cumulatus, Angelicum per os No-

os Novarini capiat documentum: *frustra pacem speret qui Gloriam DEO non exhibet, aut DEO debitum injustè sibi tribuit. Det igitur Gloriam DEO, qui pacem amat: alioquin pace carebit, qui Gloriam, quæ DEO debetur, usurpat sibi.*

QUÆSTIO XIII.

Cur Christi Nativitas, non item Incarnatio tot sit illustrata signis, & prodigijs?

DUm VERBUM Caro factum, Incarnatíque propono Genethlia, magna utrinque loquor prodigia, paradoxúmque est inter prodigia ultrà quærere prodigia; multùm tamen attonitum reddit animum, summum Incarnationis prodigium, vix ullo prodigioso promulgari eventu, quando Theandrica Nativitas plurimis commendatur portentis, & tam apertè, ut in Natali Domini plurima inter miracula cœlum, terráque portentosis tripudiis abundet; Hinc ad Tabernam meritoriam fons olei erumpit, Principémque pacis annunciat; *quo signo, quid evidentiùs* (inquit Innocent. Serm. 2. de Nativitate Domini) *quàm Christi declarata est Nativitas? Christus enim Unctus interpretatur* ait Osorius (lib. 2. cap. 20.) Indè templum pacis ruinâ involvitur, quando Angeli nato Salvatore Gloriam Altissimo decantant, & terræ festivam accinunt pacem; ab hinc modicô intervallô lubet divertere pennam, & animadvertere Romanis Eodem Innocentio teste, constructum fuisse pacis Templum, si fabricæ molem, & architectantium solidæ executionis spectâsses peritiam, Basilicam æternaturam conclusisses; de cujus æviternitate consultum responsa tulit Oraculum: *tam diu duraturum, donec Virgo pariat:* Magnifica itáque collabescens Ædes tot oribus, quot rimis Natum proclamat omni Augusto Augustiorem, de quo partu ità Beda: *placatissimo* (ait) *tempore nasci voluit pacis Amator; nullum magnæ pacis indi-*

indicium, quàm totum Orbem deſcribi, cujus Moderator Auguſtus, qui maxima duodecim annis circa nativitatem Chriſti pace regnavit, bellis toto, orbe ſopitis: Alibi ex Hieronymi & Abulenſis teſtimonio floruêre vineæ Engaddi, ea nocte, qua è Virginea terra nata eſt vitis vera, & flori Nazareno, benedictóque fructui Virginei uteri conflorueruunt; & nè cœlum minoribus oſtentis appareret comitari Lumen de Lumine, DEum verũ de DEO vero, quàm terra inter prodigia exceperit, portentoſum ſubitò felici nocti aſperſit Jubar, ut non contentum ſimplici ùt de die coruſcare ſole, ſed triplici (ſi fides annalibus eſt indubia) fulgere conſpicuum, qui per moram in unum ſolare coivêre Corpus, & ſacram noctem illumînârunt in diem; cui propheticam illam Pſaltis Regij Damaſcenus attribuit illuſtrationem: *Nox ſicut dies illuminabitur* (Pſalm. 138. v. 12.) néve minora ſidera ità ſiderum Principe affulgente ſuis deforent obſequijs, ſtella nova exorta prodigioſè apparet Magis, qua Duce Regum Ternio ad unum Regem Regum Neo-Natum perveniret. Singula prolixè aureô Ingenij compendiô ſtringit Chryſoſtomus (Serm. 141.) *Natura ſuſpicit, Cœli narrant, annuntiat firmamentum, oſtendunt ſtellæ, Magi prædicant, Paſtores adorant, pecora cognoſcunt natum Salvatorem.* Verùm his patheticis in Nativitate Salvatoris obortis prodigijs, non ità intendo obtutum, ut ad ſummum VERBI Incarnati prodigium, & hoc comitantia non advertam portenta; neque enim continuò ea majora ſunt, quæ magna patent, ſed etiam crebriùs maxima latent. Stupuit Orbis tot Illuſtrem portentis Natum DEUM, quem videre potuit Incarnatum, non ſtupuit Incarnatum, quem ob Magnitudinem Myſterij mente non concepit: enimvero majoris momenti eſt DEUM hominem fieri, quàm DEUM hominem factum naſci; niſi fortè inficieris miraculis adnumerandum: Corpus eodem conceptionis inſtanti à Spiritu Sancto formari, omnibúſque organis inſtrui, eodem anima rationali animari, eodem à VERBO aſſumi, omni ſapientia, & gratia Chriſti Animam impleri. Eandem ad beatificè videndum DEUM elevari; demum eodem inſtanti hanc citra viſionem illam ratione præditam ſcientiâ infusâ cognoſcere, ſe *VERBO* hypoſtaticè unitam, quæ omnia cum Angelico Mellifluus tradit Doctor (hom. 2. ſuper miſſus) *Vir erat JESUS necdum etiam natus, neque enim minus habuit ſapientiæ, vel potiùs non minùs fuit Sapientia JESUS conceptus, quàm natus - - nec fuit hora in quacunque ætate ſua, qua de plenitudine illa, quam in ſui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid adjiceretur, ſed à principio perfectus, Chriſtus à principio plenus fuit Spiritu ſapientiæ* &c. An non plenum eſt admiratione, quod inenarrabilis in ſermonem, immenſus in menſuram, inexplicabilis in linguam, incircumſcriptus in locum, inviſibilis in colorem, Creator in creaturam, Dominus in ſervum, Liberator in pretium, Sanitas in infirmitatem, Satietas in eſuriem, Fons in ſitim, Artifex in opus, Altitudo in humilitatem, Latitudo in anguſtias, Longitudo in brevitatem, Gloria in confuſionem, Sapientia in ignorantiam, Redemptio in captivitatem, Pretium in venditionem, Vita in mortem, Judex reus, Rex factus ſit exul in Regno? quæ ſingula ſub Incarnationis vocula Salmeron (tract. 34.) comprehendit. Grandia hæc fateor ſunt prodigia, ſed quæ humanum genus latuerunt. Quòd VERBUM caro, DEUS factus eſt homo, hoc omnium DEI Operum ſummum eſt, & maximum, ideoque illud ſtupuerunt, & ſtupent Angeli omnes, in eo enim ſummam oſtendit potentiam uniendo hominem DEO, limum VERBO, terram Cœlo ſentit Angelicus (3. p. q. 1. Art. 1.) tantúmque hoc prodigium eſt, ut alia omnia oſtenta ceu minora ſidera ſole in auge poſito non videantur. Hoc omnium prodigiorum prodigium obſtupeſcens deprædicat Jeremias; *Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit Virum* (cap. 31. v.

31. v. 22:) hoc omnium signorum maximum, quod omnem utpote quacunque cognitione superius, creaturæ petitionem excessit, & à solo DEO datum attonitus præcinuit Isaias (cap. 7. v. 14.) *dabit Dominus Ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet.* Hinc observato dignitatis ordine primùm Angelis manifestatur DEUS Incarnatus, demum homini, ut præ hominibus illud admirandi deferatur Angelis copia, & præstantiori creaturæ, sublimiorique perspicacia pollenti primùm veniat in adorationem, ut amplitudini Mysterij sua sub principium maneat Majestas, atque ità prodigiorum copia in Nativitate humanum intellectum quidem reddidit attonitum, in Incarnatione verò Magnitudo prodigij omnem intelligentiam superavit, utrumque tamen Mysterium devota colat admiratio, & admirans suspiciat adoratio; DEUM Natum venite admiremur adoratione cum Regibus, Incarnatum verò admiratione adoremus cum Angelis, tota Ecclesia flectente genua: *& VERBUM caro factum est.*

QUÆSTIO XIV.

Ubi DEUS absconditus admirabilior, an duodennis in domo Joseph ad annum usque trigesimum delitescens, an in Virgineo utero novem mensibus conclusus?

A*Udite Cæli, & auribus percipe terra* (Isaiæ 1. v. 2.) & obstupescite: *VERBUM abbreviatum fecit Dominus in medio universæ terræ*, veréque *DEUS absconditus* est (Isaiæ 45. v. 15.) O! mirabilium maximum! DEUS immensus, & sua immensitate altior summis, inferior imis, latior diffusissimis, longior longissimis, qui omnem locum implens nullo loco capitur, ubique totus, nullibi tamen comprehensus, & hic immensus, & incomprehensibilis DEUS dignatur nobis inesse pusillis, neque

neque jam duntaxat per *Essentiam*, à qua participamus esse nostrum; per *Potentiam*, à qua pendet omnis virtus, & operatio nostra; per *Præsentiam*, in cujus conspectu omnis contentio, & intentio nostra est; insuper est in rationali creatura per indelebile signaculum luminis sui, in Justis per donum inhabitantis gratiæ suæ, in impijs per stimulum conscientiam eorum flagellantis rectitudinis suæ; in Beatis per fruitivam possessionem, perque possessivam fruitionem beatificæ DEItatis suæ, atque, quod supra omnem modum miserentis dignationis Ejus, per Incarnationem *Emmanuel* nobiscum DEus in unitatem Personæ cum humana Natura conjunctus est, ut Ejus Immensitas pusillitate humanitatis nostræ includeretur, & quod VERBUM Cœli capere non poterant in sinu Patris, Incarnatum in Gremio Virgineæ Matris concluderetur; attamen ùt in Generatione Divina lucem in mente Patris habitat inaccessibilem, & nobis absconditam, in Conceptione quoque humana carnis imbecillitate velari voluit, & in mundum veniens elegit latere, amátque dici, & esse *DEUS absconditus, VERBUM Incarnatum*; progrediens enim de innocentis Virginei uteri clausura reclinatum est super fœnum in præsepio, & rursum delituit in stabulo, atque cùm & hoc brutorum animantium proprium invideret latibulum crudelis Herodis inhumanitas DEO humanissimo, dæmoniorum tunc receptaculum, & inhabitatum à virtute desertum petens annorum septenariò latuit in Ægypto; floridam subinde Patriam repetens flos Nazarenus Divinæ Virtutis, quem latè spargere poterat odorem, servilium operum folijs humillimè contexit, & ut ampliùs lateret, humanitate jam absconditus hominibus rursum se subjecit, *& erat subditus illis* (Luc. 2. v. 51.) Triduíque Solymæam duodennis apparentiam ad annum usque tricesimum annosis Nazarethanis latebris superavit; ad florem hunc ità occultum de sua solitudine evolat claræ vallis Apis subsequo mellito affectu: *sequi*

sequi illos in Nazareth non despexit Magister discipulos, DEUS homines, VEBUM & Sapientia fabrum, & fœminam. Quid? etiam addit sacra historia: & erat subditus illis. Quis? quibus? (prosequitur Bernardus hom. 1. super missus:) *DEUS hominibus, DEUS inquam, cui Principatus, & Potestates subditi sunt, cui Angeli obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam.* Adeò prodigiosè, quem Universus non capit Orbis, exilis ædiculæ se conclusit parietinis! *VERBUM* Patris, quod os, & sapientiam aliis tribuit, obmutuit! Sapientia æterna, quæ universos Divinæ Doctrinæ argumentis valebat erudire, rude lignum ad nutum sui Nutricij asciâ pertractare non erubuit altissimô silentiô; *nihil enim* (melliflui labij serm. 3. de Resurrect. sunt voces) *ab anno duodecimo de ejus Doctrina, vel operibus invenis usque ad annos triginta*; & quod mirere, Ipsa Virgo in Laudes Divinas disertissima tenerrimum Matris Virgineum cohibet affectum, Filij sui Gloriam reticet, & Divinitatem silet; cujus facti rationem Præsul Mediolanensis assignat (Serm. de Purific. Virginis) *sciebat enim jam tunc gratiâ plena, quia si hunc hujus sæculi Principes agnovissent, nunquam pro salute nostra crucifixissent.* Verùm ùt ùt DEUS-Homo, seu homines inter, seu bruta degens absconditus omni sit admiratione dignissimus; nunquam tamen latuit admirabilior, quàm novem illis mensibus, quibus inter Virginei uteri angustias delituit, totus omnium conspectui velatus. Quid enim? absconditus fuit in stabulo, & quem sui non cognoverunt ingratissimi Bethlehemitæ; non ignoravêre tamen Pastores, Magi, & Angeli, quin & ipsa amentia quoque animantia hujus cognitionis non fuêre expertia; nam *cognovit bos Possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui* (Isaiæ 1. v. 3.) in Ægypto delituit? sed quem vulpes agnoscere renuit Herodes, hunc non modò moriendo confessi sunt milleni, & milleni innocentes agnelli,

sed

sed & ipsa Idolorum ruina, mutorúmque dæmoniorum silentium professa sunt Pueri Divinitatem. Abditus latuit in domo patria? sed & has inter umbras Matris, Patrísque putaticij oculis se non subduxit; quid? quod & alij non pauci mærori suo quæsituri solamen has adirent ædes (ùt pia fert traditio) ex conspectu Mariæ, & (ùt putabatur) Filij Joseph omnem mærorem experientiâ teste detersuri, & insuper, dum Nazarethanis clauditur parietibus Incarnatum *VERBUM*, claudi nescia *Vox* Clamantis ad Jordanis littora resonans palàm in VERBI sui excurrit præconia: *venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum Ejus* (Marci 1. v. 7.) At verò VERBUM hoc Virginis *in utero* (verba sunt Guarrici Ab. Serm. 3. de annunc.) *sic est, quasi non sit, sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & VERBUM æternum premit sub silentio. Tanto tempore nihil illa Sapientia loquitur, nihil illa Virtus manifestum operatur; nullo signo visibili Majestas, quæ clausa latet, proditur*; ità nempe Divinum VERBUM humiliavit semetipsum, & exinanivit novem mensium spatiô clausum utero, ut à semetipso penitus defecisse videatur, sciréque haudquaquam dabatur, quid in hoc tanto Mysterio ageretur; in cujus rei firmamentum Virginem obumbratam esse non obscurè innuit Richardus à S. Lau. (lib. 12. de Laud. Virg.) *fortè* (inquit.) *propter hoc dictum est: obumbrabit tibi; quia res nimirum in Sacramento erat: & quòd sola pro se Trinitas in sola; & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nôsse; cui soli datum est experiri.* Huic melliflui congruit Sententia (Serm. 4. in Psalm. qui habitat:) *obumbratio Mariæ facta est à Spiritu Sancto ad celandum videlicet tam incomprehensibile Sacramentum.* Pluribus hoc prosequitur S. Thomas villa Nov. (Conc. 2. in Annunc.) *Ecce Mater DEI, Domina mundi; Cœlorum, terrarúmque Regina constituta erat; & in Ejus purissimo Utero tantum, ac tale Mysterium Divina Virtute*

tute

tute celebratum fuerat, & nemo ab ea novit, nullus audivit, nullus ab ea secretum didicit, tacuit, semper siluit. & ad hoc admirabile latibulum attonita visione respexisse censendus est Isaias (cap. 45. v. 15.) exclamans: *verè tu es DEUS absconditus, DEUS Israël Salvator*, quem locum ità reddit Richardus (lib. 4.) *verè tu es DEUS absconditus scilicet in utero Virginali, cui optimè subditur DEUS Israël Salvator*; nam & in Legatione Angelica, dum de conceptione fit mentio, mox adjungitur: *& vocabis Nomen Ejus JESUM* (Luc. 1. v. 31.) id est Salvatorem; verè adhuc in utero jam Salvator noster, & *tunc proposito sibi gaudio sustinuit crucem* (ad Hebræ. 12. v. 2.) neque in conceptione minùs exultavit ad currendam viam crucis, quàm ante passionem desideriò desideraverit hoc Pascha manducare, & transitum suum per mare rubrum effundendi sui sanguinis celebrare, & adhuc in utero delitescens pleno rationis usu Incarnatum VERBUM dixit: *dolor meus in conspectu meo semper* (Psalm. 37. v. 18.) unde Angelicus Doctor illum expendens Apostoli versum (ad Hebræ 10. v. 7.) *Tunc dixi: Ecce venio*; hæc nomine Christi ità Angelicè refert: *quando Corpus aptâsti mihi in conceptione, dixi: Ecce venio ad passionem, venio per Incarnationem, ut offeram me ad passionem.* Illustrat & hoc Hipponense Lumen (Serm. 10. de Annunc.) *ad hoc descendit Christus in uterum, ut exinde acciperet membra, quæ traderet Cruci:* *Neque enim* (illustris Panegyristæ sententia est Josephi Mansij discursu 17. de annunc.) *Salvator noster in solo Calvariæ Monte passus, sed potiùs Ejus passio hodierna die suum in Nazareth sumpsit exordium, mox videlicet, ùt mortali nostra carne amictus est.* Confirmat & hoc Pontificia Innocentij 3. (Serm. de annunc. geminum gradum tormentorum referentis) Authoritas; *primus* (inquit) *gradus est passibilitas, quam assumpsit, ultimus est passio, quam sustinuit.* Ità nempe nostri Salvatoris, ùt ùt DEI absconditi summi valoris merita jam

jam tunc Patri Cœlesti; qui videt in abscondito, patuerunt, neque sibi minùs in suo hoc amabili humilitate delitente complacuit Filio, quàm dum in candore appareret in Jordane, & in Thabor videretur in splendore.

QUÆSTIO XV.

An Bethlehem, ubi Christus Natus, an Nazareth potiùs, ubi VERBUM Incarnatum, sit Urbium Regina?

PRo loco certat, & primatu non levis momenti disceptans quæstione de voce; sed de VERBO, *hinc terra Juda*, illinc *Gallilæa tellus*, ambæ Urbium Regina, in illa Bethlehem, in ista Nazareth dici avent, neutra contenta, solùm Regia Civitas compellari, utrinque magni ponderis principale argumentum firmatur, non in amplitudine, sublimitérque porrecta ædificiorum mole, non in Conditorum roboratur præcellentia, ùt urbium per Latium Domina suo Romulo, & per Africam urbium Regina Carthago sua quondam gloriabatur Didone, neque ulli rationis humanæ prærogativæ insistit, sed solidè fundatur in Petra, non Cadmæa terræ prole, sed Cœlo delapsa, & non de lapidibus in Filium Abrahæ, sed Filium DEI animata: *Petra autem erat Christus* (1. ad Cor: 10. v. 4.) utraque, non solùm ut pro Melesigenis exortu urbes cient litigium, prætendit Christum esse suum, sed & utriusque est: in conceptione quidem *Nazarethanus*, in nativitate verò *Bethlehemita*; atque Hæc, & Illa se Christi Regiam esse contendit, neque vilitas stabuli præjudicabit Palatio; quantumvis enim adsint gregarij Pastores, id provido exactum est Numine, ut nati Regis honoretur humilitas; subitò tamen & Regia prona comparet Trinitas, ut Ejusdam adoretur Majestas, & prope jam Bethlehemitæ conclamant cives

tives suam esse Urbium Reginam, Regiâ etiam Davidis memoriâ insignem: *Ascendit autem & Joseph à Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eò, quod esset de domo, & familia David* (Luc. 2. v. 4.) sed non iniquè Regiam hanc nomenclationem sibi ex æquo vendicat Nazareth Divinæ ablegationis locus, Mariæ Virginis & Filiæ, & Matris Patria Domus, & VERBI Incarnati Domicilium Princeps, finísque, qui coronat, etiam à Capite Coronam Reginæ Urbium deberi Nazareth luculenter comprobat; quando & in princincipio suæ Incarnationis, & vitæ humanæ Dominus Cœli, & terræ præelegit Nazareth, & in fine, consummationéque Regium titulum in Nazarethana conjunctione sibi morienti præfigi voluit: Non Bethlehemita, *sed JESUS Nazarenus Rex Judaeorum* (Joan. 19. v. 19.) Regémque se haberi cupit de Nazareth, dum sustinet se Ducem prædici de Bethlehem: *Ex te enim exiet Dux* (Matth: 2. v. 6.) neque Bethlehemita objiciat Nazarethano: *à Nazareth potest aliquid boni esse* (Joan. 1. v. 46.) ubi prophetico panegyricô celebratur Bethlehem (Michæ Cap. 5. v. 2. & Matth. 2. v. 6.) *& tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Quia priorem vulgi parœmiam Divina superavit Authoritas, qua Optimum in VERBO Incarnato de Nazareth prodivit; atque nè Prophetæ nimiùm efferatur elogiô, & præconio insultet Evangelico Bethlehem, ingrati animi, quod in novi testamenti relatum est tabulis, huic Nazareth obtrudit vitium; quando HumanissimumDEUM inhumana Bethlehem non recepit, sed in inurbanum pecorum, non hominum habitaculum dimisit: *in propria venit, & sui Eum non receperunt* (Joan. 1. v. 11.) ubi humanissima Nazareth vel annunciatum Virgineô submississimæ devotionis homagiô promptissimè in sua, & quidem intima suscepit, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum*

dum verbum tuum (Luc. 1. v. 38.) *& VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis* (Joan. 1. v. 14.) & dum inculta Bethlehem inhumanè divinum Hospitem exclusit, florida Nazareth obsequentissimè benedictum fructum ventris Virginei excepit. At nè sacra collidam loca, utrique pro loci reverentia, quem suâ præsentiâ consecravit Salvator, venerationis congruam lubens attribuo partem; si enim terra quondam Chanaan, quam DEUS Patriarchæ Abrahæ, ejúsque Posteritati se traditurum appromisit (Genes. 12. 13. 15., & 26.) exinde terra promissionis vocitata, in quam fidelissimus in promissis populum Israëliticum de Ægypto per Moysen eductum (Exod. 12. & seq.) & tandem emensô quadraginta annorum intervallô per Josue deduxit (Josue 1. & seq.) ob sanctitatem cultûs Divini, veræque Religionis vigorem, divináque isthic loci patrata miracula, & manifestata Mysteria, denique ob singularem protectionem, quâ DEUS regionem hanc munivit: Terra Sancta non invidenda nomenclatione jugiter nuncupata est, sanè sacratiori antonomasia Bethlehem cum Nazareth Sanctæ Terræ gloriabitur compellatione, quam ipsi Sanctus Sanctorum sua sanctitate reddidit insignem; atque si mons Horeb Terræ Sanctæ meruit excelsitatem, de quo VERBUM DEI solùm auditum est (Exod. 3. v. 5.) sublimiùs debebiturBethlehem, & Nazareth, in quibus Ipsum VERBUM Incarnatum, & Natum est. Et si omne, quò Christo propinquius, eò dignius, in Genealogia enim Christi non augetur nobilitas per series Proavorum in ascensu, sed ascendit in descensu conjungenda Christo, id est uncto Regi Cœli, terræque, rectè utraque citra temeritatem se gaudet esse sacro-sanctam sedem Regiam, una Incarnati, altera nati Salvatoris, & nè porro alterutrius sanctitas veniat in ambiguum, stabulum versum est in templum, præsepe in altare, in quo jacuit simul Victima, & Summus stetit Sacerdos, gratum DEO pro humani generis

 salute

ſalute offerens Sacrificium. Unde fortè & ab Angelis inurbanum Paſtorum præmonitum vulgus, nè ſtabulum conſecratum in Eccleſiam porro illis ſtabulum pro grege, ſed locus pro Sancta lege gratiæ foret. Neque quis cenſeat hanc ſanctitatem antiquatam, quando Regina Urbium Roma olim abominandæ ſuperſtitionis Famula, verè nunc Civitas ſancta in hodiernum usque diem ampliſſimæ ſanctitatis indigitat Baſilicam dictam ad præſepe, in qua præſepe Domini Noſtri univerſa Eccleſia in ſuo capite ſe inclinans religiosè veneratur; quid dicam de Nazareth? Notior eſt hujus Sanctæ domûs ſanctitas, quàm ut divulgatione paginæ præſentis egeat; quia tamen etiam notam pietatem recenſere pium eſt, devotio erga Beatiſſimæ Virginis Natalem domum exigit, Nazarethano enim in oppido magna hæc æterni Patris Filia genita eſt, & erga VERBUM Incarnatum, nam ampliſſimo hoc in loco Annunciatio Divini VERBI facta, & Incarnatio transacta eſt, pauculos floſculos de Nazarethano florilegio, & de Horatij Turſellini Marianis monumentis, & lauretanis annalibus legere, & decerpere Religio urget: Virginea hæc Sancta domus à S. Jacobo, aliisque Apoſtolis conſecrata in Eccleſiam traditur, & ſubinde à S. Helena Auguſta poſt Chriſtum natum Annô circiter CCC alia elegantiBaſilica auctam, & decoratam à S. Paula, aliisque ex orbe Chriſtiano peregrinis devotiſſimè frequentatam, ſub hæc Annô æræ Chriſtianæ M. CC. XCI. Nicolao IV Pontifice Maximo è Galilæa in Dalmatiam Angeli deportârunt, verùm quadriennô nondum expletô Cœleſte hoc munus rurſum Dalmatis ereptum, Angelicisque bajulis in Picenum Italiæ Regionem ad locum, qui nunc Lauretum appellatur, delatum eſt, ubi ſacra hæc ædes Divinarum, & Marianarum gratiarum ampliſſima Sedes ſupra omnes Civitates Regias eminet, glorioſam nomenclationem merita, ut Nazareth Urbium Regina compelletur, quæ Regem Regum prima habuit inquilinum.

The-

THESES THEOLOGICÆ
EX TERTIA PARTE.

XXX. Incarnatio naturali ratione neque impoſſibilis, neque poſſibilis demonſtrari poteſt. Ad hanc ponendam neque antecedenter, neque ulla facta ſuppoſitione creaturæ DEUS neceſſitabatur.

XXXI. Nequit creatura pro peccato mortali condignam præſtare ſatisfactionem, imò nec pro veniali rigorosè ſatisfacere poteſt; Unde ſuppoſita condignitate ſatisfactionis Incarnatio fuit neceſſaria.

XXXII. Satisfactio Chriſti fuit ex ſe perfecta, intrinſecè condigna, & ex rigore Juſtitiæ, imò & ſuperabundans. Valor operum Chriſti quoad vim ſatisfaciendi & merendi fuit in genere moris, & quoad æſtimabilitatem intrinſecam ſimpliciter infinitus; quæ valoris infinitudo eſt perſonalis.

XXXIII. Incarnatio defacto fuit decreta in remedium peccati, & Chriſtus venit tanquam Redemptor; remedium tamen peccati non fuit unicus finis factæ Incarnationis.

XXXIV. Ante abſolutè præviſum peccatum Chriſtus fuit determinatus; hinc Incarnationis Myſterium etiam non peccante Adamo futurum fuiſſet; ùt Redemptor tamen intentus fuit poſt peccatum abſolutè prævisum.

XXXV. Humanitas Chriſti non meruit defactò unionem hypoſtaticam per aliquod

 meri-

meritum tempore, vel naturâ prius; repugnat, ut Christus sibi meruerit hanc Unionem quoad substantiam, & primum esse. Maternitas tamen DEIparæ potuit esse, & fuit ex meritis Christi.

XXXVI. Christus Virgineæ Matri suæ immunitatem à peccato Originali, gratiam Angelis, & Adamo cum Posteris meritus fuit; Non tamen sub meritum Patrum cadebat Incarnationis substantia.

XXXVII. Unio VERBI cum humanitate non est facta in Natura, sed Persona VERBI; proinde Christus constat in unitate Personæ duabus integris, & inconfusis Naturis.

XXXVIII. Sola Persona VERBI assumpsit naturam humanam, quam plures Personæ Divinæ simul assumere possent, nec repugnat ab una Persona Divina plures naturas assumi.

XXXIX. Anima Christi à primo creationis instanti habuit scientiam infusam, distinctam à beata, seu visione beatifica, & scientias naturaliter acquisibiles per accidens infusas.

XL. Humanitas Christi fuit formaliter sancta sanctitate substantiali, & increata VERBI, & hac non obstante fuit in Christo gratia habitualis, & creata sanctitas. Christus impeccabilis fuit liber quoad verum mortis præceptum tum quoad acceptationem, tum quoad impletionem.

QUÆ-

QUÆSTIO XVI.

De tempore Incarnationis & præprimis:

An Incarnatio VERBI facta sit de die, an de nocte? Et quidem, si de die, utrum hæc sit illa dies, quam fecit Dominus?

POstquam VERBUM Patris Æternum in tempore Caro factum est, ampliùs, quam unquam aliàs tempori pretium accessit, pretiosissimúmque, & maximi momenti fuit momentum, quo DEI Filius incarnatus est, bonáque, quin, & optima fuit nox, diésve, quâ hoc peractum est; neque ullam temporis jacturam subibit calamus; Si fuso etiam charactere temporibus Salutis nostræ institerit; quando Sapientissimus Moderator temporum DEUS tempora Salvatoris provida dispositione, accuratáque ordinavit dispositione, magno Moralium hoc observante Magistro: *cùm in sacra Scriptura* (ait Grego: 2. Moral:) *notantur tempora, mysteria indicantur*, & aptissimo Incarnationem factam esse tempore Apostolicum comprobat principium: Scilicet quæ â DEO sunt, ordinata esse (ad Rom: 13. v. 1. & ad Gal: 4. v. 4.) *ubi venit plenitudo temporis, misit DEUS Filium suum, factum ex Muliere, factum sub lege.* Ut itá neque sub mundi exordium, neque sub ejusdem terminum, sed quasi in medio temporum hoc perficeretur Mysterium; vaticinante Habacuc (c. 3. v. 2.) *in medio annorum notum facies.* quod & Hipponense illustrat Lumen (August: in Joan: Tract: 31.) *multi dicunt, quare antè non venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum erat plenitudo temporis moderante illo, per quem facta sunt tempora, sciebat enim, quando venire deberet.* Quod ipsum congruis rationibus stabilit Doctor Angelicus (3. p. quæst. 1. a. 5. in ☉.) *nec statim post peccatum* (inquit) *conveniens fuit*

fuit DEUM incarnari: primo quidem propter conditionem humani peccati, quod ex superbia provenerat. Unde eo modo erat homo liberandus, ut humiliatus recognosceret se Liberatore indigere. Unde super illud (Galat: 3.) *ordinata per Angelos in manu Mediatoris dicit glossa: Magno DEI consilio factum est, ut post hominis casum, non illico DEI Filius mitteretur: reliquit enim DEUS priùs hominem in libertate arbitrij in lege naturali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret: ubi cùm deficeret, legem accepit, quâ datâ; invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitiô: utità cognita sua infirmitate clamaret ad Medicum, & gratiæ quæreret auxilium.* Secundò *propter ordinem promotionis in bonum, secundùm quem ab imperfecto ad perfectum proceditur,* (unde Apost: dicit: 1. Cor: 15.) *non priùs, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Tertiò propter dignitatem VERBI Incarnati: quia super illud Gal. 4. at ubi venit plenitudo temporis dicit glossa: Quantò major Judex veniebat, tantò præconium series longior præcedere debebat. Quartò nè fervor fidei temporis prolixitate tepesceret: quia circa finem mundi frigescet charitas multorum. Unde (Lucæ 18.) dicitur: cùm Filius hominis veniet, putas, inveniet fidem in terra.* Quo autem mundi conditi anno Divinum VERBUM dignatum fit Incarnari, lites non movebo chronologicas, quas videre fusè relatas est apud Tirinum in chronico sacro ante comentarium in vetus testamentum. Computus in Martyrologio Romano ità refertur: *anno à creatione Mundi, quando in principio DEUS creavit cœlum & terram 5199.* (Alii tamen volunt hoc accidisse anno ferè 4000. Suarez in 1. Tom: Disput: 6. Sect: 1.) *A. Diluvio 2957. A. Nativitate Abrahæ 2015. A. Moyse & egressu populi Israel de Ægypto 1510. Ab unctione David in Regem 1032. Hebdomada 65. Juxta Danielis Prophetiam. Olympiade 194. Ab urbe Roma condita 752. Annô Imperij Octaviani Augusti 42. Toto orbe in pace composito, sexta mundi ætate JESUS Christus æternus DEUS, æterni Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu Sancto conceptus, novémque post conceptionem decursis mensibus in Bethlehem Judæ nascitur ex Maria Virgine factus homo.*

Quod verò de quaternione anni tempus summum ab Incarnato VERBO acceperit pretium, prope supra controversiam est, continuáque firmatum Ecclesiæ traditione, ritúque est, pretiosissimum ex hoc capite Vernum esse tempus, hujúsque temporis auspicatissimum esse mensem Martium, Romani quondam, & Hebraici anni Exordium, quo mense devotio Ecclesiastica Incarnationis solemnia summæ Annunciationis festivam celebrat memoriam; atque pro vernantis temporis prærogativa Patrum qnoque suspirantium conclamant vota: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* (Isai. 45. v. 8.) videlicet Florem Nazarenum & benedictum fructum Adamitico Malo verè malo salutari vitâ mortificando efficaciter adversantem, & eandem allegoriam floris jam Idem Vates superiore Vaticinio (Isai. 11. v. 1.) attribuit Christo: *egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice Ejus ascendet*; de quo flore Ambrosiam delibat super dicto versu ità commentans Ambrosius: Virga Maria, Flos Mariæ Christus qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe Virginali ex utero germinavit, novóque argumento tempori florido addicitur gratia Incarnationis. Neque porro Mensium cæteri Martio salutis nostræ Kalendas addicere abnuunt, cujus diem fastis suis dudum inseruit Ecclesia vigesima ejusdem quinta Angelicæ legationis, & consummati de VERBO incarnando negotij supernis gratijs affluentia tempora recolendo, in cujus mensis longè felicissimum diem eruditæ pietatis calculô sacri reflectentes Chronologi, salutari combinatione Divinæ providentiæ observantis, & di-

dispertientis sapientissimè tempora æternitate digna extemporanea promunt documenta: primum videlicet hominem creatum esse in Vere, cui præprimis non attento pro autumno decidentis adversæ partis conatus, suffragatur purpurata Baronij Sententia (in apparatu ad Annales Ecclesiast:) Igitur quo die Eva serpenti consentiens cum Adamo peccatum concepit, Maria consentiendo Angelo perditi orbis concepit Salvatorem, & dum Adam se se draconis subdit Servitio, à Virginis Filio emancipatur. Mors per Adam, vita per Christum, Evam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit, sed seductio Evæ attulit mortem, consensus Mariæ peperit seculo Salvatorem. Restauratur per Mariam, quod per Evam perierat, per Christum redimitur, quod per Adam fuerat captivatum. (Chrysost. hom: de interdict: arboris) Ejusdem mentis est Magnus August (4. de Trinit: c. 5.) Athanasius (qu: 17. ad Antiochum) cujus audiatur testimonium: *quare* (rogat Athanasius (*vigesimo quinto die Mensis Martij in utero habitare cœpit Christus?* & roganti sibi reponit: *quia eadem die in mundi principio DEus creavit Adam, hinc est, quod ipso mense omnes arbores, & herbæ ad proferendum fructum commoventur tanquam à DEO hæc tempora creata sint.* Quem Divinæ Providentiæ ordinem demirans in sequentia erumpit Rupertus (de Divinis Offic: c. 19.) *eadem die, quâ veterem Adam formavit de limo terræ, novum sibi hominem reformare cœpit de Virginis carne.* Facit & huc peracuta (in Genes: c. 15. v. 16.) *generatione autem quarta revertentur huc*, Augustini gnome: *quarta generatio* (inquit) *liberavit tres. prima enim & secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem invenerunt*: quibus penitiùs intelligendis observandum cumprimis cuperem, triplicis olim generis orbi illuxisse hominum generationes. primam absque Viro & Fœmina in Adamo, alteram de Viro sinè fœmina in Eva, tertiam ex Viro & Fœmina in Abele, Caino

Caino &c. &c. quarta restabat, quæ priores erigeret à lapsu, scilicet ex fœmina sinè Viro in Christo Adami & universæ posteritatis Redemptore, atque ità veritas de Argumento Augustini eruitur, *quarta generatio liberavit tres*, tantique pretij nonnullis antiquis XXV. Martij fuit, ut annos salutis (teste Beda lib. de nat: rer: c. 47.) ab hac die initiârint: diem autem hunc & Adami conditi fuisse feriam sextam torrens consentit AA. quos quoad primum videre est apud Cornelium à Lapide. De altero loquitur Rupertus (Lib. 3. de Divin: offic: c. 19.) *Plastes Noster, qui ùt dictum est, Dominica nocte natus est, feriâ sextâ conceptus est*, quanquam Tirinus censeat Incarnatum esse Filium DEI feriâ primâ, quam nunc Dominicam diem vocamus. Eadémque dies pluribus adhuc divinæ providentiæ signatus est prærogativis; Ipsa hac die (ut videre est apud Novarinum) innocens Christi figura, & Martyr primus Abel occubuit, eidémque diei plures addicunt Immolationem Isaac, & transitum filiorum Israel per mare rubrum &c. Et tandem hæc ipsissima erat dies (ex multorum PP. sensu) quâ Salvator noster factus obediens usque ad mortem, superbiæ, & inobedientiæ Adamiticum scelus expiavit; atque ità idem dies, qui nefastis adscriptus antehac, & salutis nostræ per VERBI Incarnationem fecit exordium, & per mortem in cruce consummavit finem, dies verè ter fausta, omníque dignitatis calculo insignienda! in hoc tamen rursum oppositum tradit Tirinus, & sentit incarnationis diem eundem fuisse cum die Resurrectionis Christi die XXV. Martij feriâ primâ, quam indè Dominicam nominamus; mortuum autem esse eadem die, quâ Adam ejectus est de Paradiso, scilicet XXIII. feriâ sextá, horâ 9. secundùm computum Hebræorum, secundùm nostrum horâ tertiâ post meridiem. Verùm ùt ùt illustris, hæc plenè illucescit dies, ad huc quæstio involvitur tenebris, superéstque; an VERBI Incarnatio, non jam disceptan-

da

do de die naturali, facta sit de die, an de nocte, pro nocte potens urget argumentum à sacratissima Nativitatis nocte, quod scilicet perfectè lapsis à conceptione mensibus novem divinum VERBUM incarnatum in Bethlehem natum sit, *in ijs enim* (loquitur Suarz hìc Disp: 3. Sect: 4.) *quæ ad perfectionem naturæ pertinent, & indecentiam non habent, voluit Christus naturali modo nasci*, & ùt placuit, frigescente mundo Divinæ Sapientiæ brumali tempore nasci, itá eodem in tenebris, posito sua elegit Genethlia in tenebris dum de Virgineo utero prodivit in mundum, neque voluntate per amorem, neque intellectu per agnitionem sibi conjunctum. At illuminatissima cœlesti lumine erat Virgo per fidem, & plena gratiâ, & charitate, neque erat, quod VERBUM incarnatum ullas Virgineæ Matris tenebras incusaret, decuit itáque, ut quemadmodum unanimi PP. sensu Maria Divini solis Justitiæ colitur Aurora, hujúsque solis Phosphorus Archangelus Gabriel Añunciatio, & Incarnatio fieret sub auroram Virginea Vigilia, & Oratione illustrem de qua Albertus M. (in cant. 7.) *hæc est* (inquit) *aurora consurgens, ex qua ortus est sol Justitiæ, & ideo Illuminatrix.* Pro eodem factæ Incarnationis matutino tempore stat Antoninus (4. p. tit. 15.) & citatum Lumen Magnum Albertus (quæst. 9. super missus) qui insistens principijs Dionysij (c. 15. cœlest hierarch.) ità concludit: *Illa Incarnatio, cum sit ortus veri solis super terram, quod est initium diei, sinè superstitionis supercilio credimus: quòd hæc fuit in ortu diei, & non in vespere, quia non annunciabat tempus incarnandi: nec in nocte, quia non annunciabat statum eorum, propter quos fiebat Incarnatio.* Porro idem ait: *maximus splendor eam decebat legationem, ex qua totus orbis splendor est ortus*, quod etiam illustrat Abbas Philippus (Lib. 4. in cant: 6.) *quidquid in Virgine agitur, noctem nescit, cui Regem carne coronanti di es infunditur, crux splendescit splendore diurno, vel magis diuturno Matris spiritus hilarescit.* Præterea quod aurora non solùm Musis amica, sed & magnis mysteriis meditatione pensandis amicissima sit. in illustrem erumpente affectum Regio Psaltes *DEUS DEUS meus ad te de luce vigilo* (Psal: 62. v. 2.) neque modicum illud fortè intervallum plenitudinis temporis puerperii obstabit, nullum speciale mysterium complectens, quod pro aurora insinuatum est. Atque dum ità pro die loquor in Divinam Incarnationem abreptus, in ardentissimam compellor erumpere intimi affectûs exclamationem: *Hæc dies, quam fecit Dominus.* At amabò, quid Davidici hìc latet conceptûs, quòd dissimulato innumero pene dierum numero singularem expressisse diei unitatem contentetur, quasi grande quid dixisset, unicam operatrici DEI manui attribuens diem: *hac est dies, quam fecit Dominus*, an fortasse ab eo tempore, quo Divino imperio facta primùm lux, divisáque à tene bris primam constituit diem, adusque Davidis tempora suum sol indies cursum non tenuit? an non divinæ evincunt literæ factos esse dies Ipsiúsmet Davidis, quibus in Israël regnavit, annos quadraginta? quomodo ergo in enarrandis DEI operibus alioquin minimè parcus Propheta Regius, in recensendis diebus adeò illiberalis audit, quando non nisì diem unicum Do mino referat in acceptis? *hac est dies, quam, fecit Dominus.* Sed Propheticam ex Chrysostomo, & Origine intelligo mentem, vocari nempe hìc diem, non à Solis cursu, aut lucis ortu, sed ab ijs, quæ in eo facinora præclara gesta sunt, quemadmodùm dies & mala dicitur, non Solis, lucísque vitio, sed ob adversa evenientia tali die, quibus in hunc locum suffragatur Lyranus, inquiens: *licèt fecerit omnia tempora generaliter, dicitur tamen facere aliquod tempus specialiter propter bonum, quod in illo contigit.* Proinde discutiendum est, quænam potissimùm hæc dies quam fecit Dominus veniat compellanda; & hanc quidem speciatim vindicare sibi videtur gloriosa Christi Anastasis prærogativam, quam huic defe-

deferunt Chryſologus, & Lactantius exiſtimantes dici Reſurrectionis *diem factam à Domino*, hac de cauſa; quòd ſol naturalem ſuum ortum ea die ſuo jubare anteverterit; his Eccleſiæ Luminibus accedens Fulgentius pro eadem die hoc ſe ſe argumento declarat: *quia* (inquit in Lucam) *& ipſum ſolem hac die clariùs lucere exiſtimo, quando Sol verus lucem ſuæ Reſurrectionis glorioſè radijs corporalibus immiſcet*, & Chryſologus (Serm: 52.) neceſſe eſt enim ut ſol in ejus Reſurrectione gaudeat, in cujus paſſione condoluit, & S. Bruno (Serm: in Paſch.) in eandem conceditSententiam, ità differens: hanc diem præcipuè feciſſe dicitur, dum in ea hominem in melius per ſanguinem ſuum recreavit, & cum ad immortalem tam corporis, quàm animæ per utriusque reſurrectionem revocavit. Atque ità tametſi nullam non diem fecerit, Paſchæ tamen diem ſingulariter fecerit Dominus, non quidem quaſi iſtam diem plus alijs fecerit, ſed quod in ipſa die plus quàm in aliis nobis fecerit, quod compendiò includit purpuratus Doctor Seraphicus Bonaventura (Serm. 1. de Reſurr.) *in naſcendo* (ait) *contulit conſortium naturæ, in patiendo beneficium gratiæ, ſed in Reſurrectione complementum gloriæ.* Verum & ad libellum revocemus argumentorum pondera, quæ in diem Incarnationis Divinæ inclinant; & ſi lubet argumentum ab Authoritate auſpicemur: Procopius in Commentario ſuper Iſaiam illum (Pſalmi 117.) locum *hac dies, quam fecit Dominus* diſertè pro Incarnationis exponit die, pro qua & luculenter, ùt aſſolet, in Annunciatione Virginis aſtulget Hipponenſe Lumen: *ex hodierno* (inquit) *dies incrementum accipit*, & augmentum ſumit curſûs ſui, qui electus ad gloriam DEI naſcitur; conceptus eſt enim (Dominus) æquinoctio vernó, & natus eſt in ſolſtitio hiberno, & in Conceptu, & Nativitate Ejus dies accipit incrementum, & naſcente verâ Luce, lucis & diei augmentatur officium. Urget & pro hac die ratio in ſuperioribus allata, quæ diem ſpeciali-

ter à Domino factum, non à ſolis curſu, ſed præclarorum operum exercitio menſurat; an enim ullum DEI opus Incarnatione VERBI præclarius vel cogitari poteſt, quod negotium ſeculorum, & nullo refractario ſenſu omnium maximum eſt, tantúmque rationis pondus eſt, quod ipſos inclinavit cœlos. *Quid igitur* (de hoc die ſenſus eſt Origenis) *quod poſſit cum hoc die conferri, in quo cum hominibus facta eſt reconciliatio, & diuturnum bellum fuit diremptum, & terra cœlum evaſit, & homines terrâ indigni Regnô digni viſi ſunt; etſi enim omnes dies fecerit, illum tamen eximiè, quandoquidem in illo maxima Myſteria implevit.* Atque ſi magnitudo beneficii hac die collata penſetur; Unio Hypoſtatica maxima eſt in ratione doni, omnem alium ordinem *naturæ*, *gratiæ*, & *gloriæ* tranſcendens. Neque gaudia tripudiantis Eccleſiæ in glorioſa Domini Anaſtaſi pia inter hilaria concinentis: hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea; prærogativam aſſertæ diei pro VERBO Incarnato turbant, quando non ſolùm Angelus nato Salvatore *Evangelizat gaudium magnum, quod erit omni populo* (Luc: 2. v. 10.) ſed & in Incarnatione gaudium ſuper omne gaudium annunciat Archangelus; quod ex mente Auguſtini commune eſt omnibus creaturis. Sed ulterius à comparatione audiatur argumentum: tria potiſſimùm indicat Doctorum Angelus, quæ Paſchatis diem reddiderunt ſolemniorem: *Cœlum* videlicet, quod Angelum transmiſit, *Terra*, quæ præ gaudio exultavit; & *Inferi*, qui Sanctos reſtituerunt, cuncta diei hujus non ſinè præcellentia in die reperiuntur Incarnationis, de quo audiatur Gverricus Abbas (Serm: de feſto Annunt) *Evangelium noſtræ ſalutis, quod Angelus Miſſus à DEO hodierna die Mariæ evangelizavit, ac latum de Incarnatione VERBI dies diei, Angelus VERBUM Virgini eructavit. Sermo ille dum filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, Redemptionem captivis, adapertionem clauſis,*

vitam sepultis - Justorum gloriam annuntiat: terret Inferos, lætificat cælos, & sicut cognitione Mysteriorum, sic etiam novitate gaudiorum perfectionem hausisse videtur Angelorum. Demum si scire aves, quomodo, quáve de die dictum sit: *hæc dies, quam fecit Dominus? intelliges* (respondet Theodorus) *si attenderis, quomodo in mundi opificio in prima die nihil aliud fecisse scribitur, quàm ipsum diem solam*; dixit námque Dominus: *fiat* lux, & facta est lux (Gen. I. v. 3.) appellavítque lucem, diem (v. 5.) Divino huic *fiat* concinnè adjunxeris humanum Virginis *fiat*; quod mox subsequitur, & facta *est lux*, quæ illuminat omnem hominem venientem in hu nc mundum (Joan: I. v. 9.) Quam lucem, si vocaverimus diem, nullus adversetur, qui metuit ad lapidem Hieronymi offendere, ità enim de Christo (in Psal: 117) ait dictus Purpuratus: *hic Lapis angularis Ipse est dies salutis, in quo vel à morte surreximus, vel mærore peccati deposito in novitate vitæ lætemur.*

QUÆSTIO XVII.

Cur Sanctus Joannes primo sui Evangelij capite loquens de Filio DEI, & Filio hominis secundam SS. Trinitatis Personam potiùs vocet VERBUM, quàm Filium, & hoc VERBUM potiùs enunciet, quòd Caro, quàm Homo factum sit?

EVangelistas, dum audis, Christi, Ejúsque salutarium actorum percipis Historicos, diverso tamen exdio sacram suam historiam initiantes; Hi ab humana Christi generatione ordiuntur, ùt Matthæus, cujus Genealogiam ad Regios deducit Majores, & Lucas à Sacerdotio auspicatus Zachariæ à Christi Genethlijs ad Proavos Sacerdotes ascendit; Alius ùt Marcus à Baptismate Christi; Ejúsque prædicatione sumit principium; Illi Christum Redemptorem, Iste Doctorem proponit.

Joannea sublimiùs evolat Aquila, & ab ipsa Divini Filij Origine super omnem humanam generationem exorditur: *In principio erat VERBUM* (Joann: I. v. I.) sapientissimóque pro plenitudine historiæ ordine Joannes à Divinitate VERBI capit exordium; Opera enim, & gesta Christi narraturus convenienti methodô priùs Ipsum Christum sublimi aquilino vultu attendit, Qui, cùm in unitate Personæ naturam Divinam, atque humanam complectatur, utriusque considerationem perfectio historicæ requirebat Doctrinæ; à Divina ergo, ùt à potiori auspicatur, & tandem in humana conquiescit natura, priùs Divinam, & æternam, quàm humanam generationem enarrans, unà volens sacrilegas Cherinti, & Ebionis Christi Divinitatem inficiantium obstruere fauces; atque ità historico suo prospectu, & respectu longè primùm excessit Historicum, qui à Mundi Genesi historiam suam inchoans: *In principio creavit DEUS cælum & terram* (Gen. I. v. I.) omnia quidem DEUM VERBO suo creâsse promulgat: *dixit DEUS, & factum est* (Gen. I.) antiquitatem tamen, & naturam VERBI, ùt Joannes, non expressit. Moyses orditur à creatione Mundi, Joannes à VERBI æternitate, Moyses assignat principium temporis, quô DEUS omnia fecit, Joannes assignat principium, quod erat ab æterno, quando erat VERBUM, per quod in tempore omnia à DEO facta sunt; demum Joannes hoc Moysis supponens, atque supplens exordium, omne creationis principium prævenit, longéque anteriùs dat principium, verè asserente Tertulli: (contra Hermogenem) *Evangelium veteris testamenti esse supplementum. In Principio*, hoc est; *primò* in Patre æterno (ait Cyrillus, & Origenes citati à Cornelio à Lapide in cap. I. Joan) nam mox Joannes (v. I. ait) VERBUM esse in sinu Patris. *Secundò* S. August: Beda, & Hilarius *in Principio* scilicet Mundi, vel temporis etiam imaginarij, quod videlicet ante Mundum imaginari potes ab æterno fluxisse (q. d.)

VERBUM non est factum in Principio temporis etiam imaginabilis, & antiquissimi, sed jam tunc erat, quia non est factum, sed Genitum ab æterno. *Tertiò* Idem August: Chrysost: Teophyl, & S. Basilius in Principio, id est ante omnia. Hinc Nonnus *Tò in Principio* quinduplicitèr exponit per quinque apposita, quorum unum ex altero ordine sequitur. *In Principio* (inquit) id est: Primò *Intemporaneum.* Secundò *Patri Coævum.* Tertiò. *Patri naturâ Æquale.* Quartò *Incomprehensibile.* Quintò *Ineffabile.* Audiatur Nonnus, ità ex græco redditus: *Sinè tempore erat incomprehensibile, in ineffabili VERBUM Principio, æqualis naturæ Patri coævum, Filius finè Matre.* Qua de causa S. Joannes quater repetit Tò *erat, in Principio* (inquit) *erat VERBUM, & VERBUM erat apud DEUM, & DEUS erat VERBUM, Hoc erat in Principio apud DEUM.* Ut quodcunque tempus cogites, scias, quòd in illo jam *erat* VERBUM, quodcunque sæculum, & ævum concipias, noveris, quòd in illo jam erat VERBUM (ità ferè Cornelius citatus) Gemino proinde altissimo, & profundissimo Princeps Evangelista occupatur obtutu; altero, quo VERBUM intuetur apud DEUM genitum, non factum, & summam attonitus contemplatur Majestatem; altero, quô VERBUM considerat apud hominem, & genitum, & Carofactum, & maximam obstupescit humilitatem, & quod ampliùs paradoxum, summè distantia coadunat, & altissima profundissimis in Principe prodigiosi sui Evangelii Capite conjungit: In Principio erat VERBUM, & VERBUM erat apud DEUM, & DEUS erat VERBUM (Joan: I. v. I.) O Altissima! & VERBUM Caro factum est (v. 14.) O profundissima! Portentosus hic Evangelicæ Aquilæ volatus extaticum propè attinet animum, quæ postquam super æthera sublimata in Divini Solis fulgore irretortam pavisset pupillam, pernicibus alis ad ima delata humi defigit aspectum, & quæ priùs totis viribus attendit spiritum, in carne conquie-

quiescit, neque jam morante Divinæ Majestatis VERBI sublimitate alite devolans penna in exili volatum terminat humanitate. Atque ità sublimissimis his, & infimis propositi quidem erotematis intricatus apparet Gordius; at suam à mentis acie adhuc solutionem præstolatur; & quidem, quod sublime primum quæstionis attinet membrum, bifariam hoc discernendum est; aliud enim est interrogare, quare Filius DEI *VERBUM* dicatur, aliud; quare Joannes hoc in loco VERBUM potiùs, quàm *Filium* compellet; primùm, ad cujus elucidationem data quæstio responsum non obligat, insinuâsse sufficerit: Evnomius antiquis sæculis ab hæretica sua pertinacia, & pravitate notus, duo DEI confingebat VERBA, unum *internum*, & *connaturale* DEO, *externum* alterum, quod VERBUM DEI asserebat non connaturale, atque consubstantiale DEO, hócque esse *Filium DEI*, opinione mentis errantis argumentum deducens (ex Psal. 2. v. 7.) *Dominus dixit ad me: filius meus es tu*, igitur arguebat malus Logicus, & pejor Theologus; Si Dominus, nempe Pater loquitur Filio, Filius non est VERBUM illud consubstantiale; Sed Divina humanis commensurans toto cœlo aberravit, dudum in immensum à Cyrillo (Lib. in Joan. cap. 4. & lib. 7. Thesau: c. 2. & 4, cont. Arian.) Ambrosio (Lib. de Incarnat: Domin: Sacrament cap. 6) confutatus. *Patrem ergo loqui ad Filium non aliud est* (Doctrina est Magni Aurelij tract: 40. in Joan.) *quàm ipsum gignere scientem, & intelligentem; Pater enim Filium generat, & ipsa generatione communicat totam scientiam suam*, & hoc est loqui ad Eum; Filium autem accipere *generatione substantiam, est generari: accipere autem scientiam eandem Patris, est audire à Patre.* Filius ergo procedens à Patre Ipsum est VERBUM, quô loquitur Pater, & ipse est, qui audit, & cui loquitur Pater, neque Arrianis favet, *VERBUM fuisse apud DEUm*, & sic non esse consubstantiale; sacer enim subjungit textus: *Et DEUS*

DEUS erat VERBUM : q. d. VERBUM ità est apud DEUM, ut Ipsum & sit DEUS; ità tamen, nè idem ille DEUS, apud quem erat VERBUM, putaretur esse VERBUM, & eadem cum VERBO Persona; & sic VERBUM ejusdem esse naturæ Divinæ cum Patre declaratur, & distinctio Personarum comprobatur. *Quomodo enim* (quærit Cyrillus) *quod unum numero est, Ipsum apud se ipsum esse intelligitur?* audiatur & Tertullianus concinnè de hoc (Lib. 5. cont: Praxeam) ità disserens: *ante omnia DEUS solus erat, Ipse sibi, & Mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum; cæterùm nè tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in se Rationem suam &c. &c. hanc Græci* λόγον *dicunt.* Atque ità per tò *apud DEUM* Personæ designatur diversitas, & summa VERBI cum Patre insinuatur conjunctio, & æqualitas; aptissiméque Joanneæ Sapientiæ trimembris sententia: *In Principio erat VERBUM, & VERBUM erat apud DEUM, & DEUS erat VERBUM* explicat primò *VERBI quando.* Seu æternitatem. Secundò *VERBI ubi.* Et à Patre distinctionem. Tertiò VERBI essentiam, & essentiæ cum Patre identitatem; si enim quæras, *quando erat VERBUM?* Respondet: *erat in Principio*, id est: *ab æterno.* Si quæras, *ubi* erat VERBUM? Respondet: *erat apud DEum Patrem.* Si denique quæras, quidnam est VERBUM, & cujus naturæ? Respondet: *VERBUM hoc est DEUS*, ità Cornelius à Lapide (in I. cap. Joan.) Non tamen inficiatur sanior in sensu Catholico Theologia etiam Deo per quandam analogiam ad geminum nostrum VERBUM, *internum* unum mentis, *externum* alterum, quo internam notitiam declaramus, duplex convenire VERBUM, unum *internum*, quod Filius est, quem se ipsum intelligendo generavit, aliud *externum*, quo nobis mentem suam voluntatémque declarat, quale erat Illud, quod per Prophetas olim pronunciabat, & nunc quoque tale in sacris literis consignatum retinemus. Cùm autem (commentatur Maldonatus in cap. I. Joan:) *VERBUM Caro factum est*, ex utroque VERBO unum factum esse, & illud, quod Sola conceptum erat mente, velut pronuntiatum fuisse ore, ut audiretur, & videretur à nobis, quod ipsum alio in loco expressit Evangelista: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de VERBO vitæ annuntiamus vobis* (Joan. I. Epist. cap. I. v. I. & 3.) non enim cum esset in initio, sed cum *VERBUM Caro factum*, id est: pronunciatum esset, auditum, & visum est; Consimile ad Hebr. (c. I. v. I. & 2.) Scribit Apostolus: *Multifariam multísque modis olim DEUS loquens Patribus in Prophetis novissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio*, hoc est: in VERBO, quasi dicat: priùs alieno loquebatur ore, nunc ore suo, VERBOque suo locutus est. Multis proinde ex capitibus DEI Filius dicitur λόγος ob varia per hanc vocem Græcis expressa, singula DEI Filio convenientia. Primò λόγος verti potest *Ratio*; quia sicut ratio, vel notitia à mente, sic Filius à Patre procedit. ità S. Chrysost: Theophylact: S. Basilius: S. Nazianzenus (Orat: 4. de Theol:) & hinc Gentium quidem Philosophi & Theologi, ùt Trismegistus, Orpheus, Plato, aliíque Græci, Chaldæi, Ægyptij Patrem vocârunt νοῦν id est mentem; Filium verò λόγον, quasi Mentis prolem, teste August: (lib. 7. Conf. cap. 9.) hinc & illud Platonis: *Monas genuit Monadem, & in se reflexit Ardorem.* Secundò *definitio*: id, quia VERBUM Patris naturam, omnésque res definitè exprimit. ità Nazianzenus citatus hinc fortè illud (ad Hebr. I. v. 3.) *qui cum sit splendor Gloriæ, & figura substantiæ Ejus.* Et Joannis (14. v. 9.) VERBUM Incarnatum loquens referentis: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem* (Joan: 14. v. 9.) Tertiò *causa*, quia VERBUM est causa rerum

rum omnium, quæ VERBO DEI creatæ & productæ sunt, ità D. Dionysius (de Divin nomin: c. 7.) S. Hierony: (Epist: ad Paulinum) Quartò præteritis alijs, λόγος idem quod *Sermo* cum Tertulliano, Cypriano, Ambrosio vel potiùs VERBUM: singula ità complectitur Hieronymus (in Epist: ad Paulinum) λόγος (inquit) *Gracè multa significat, nam VERBUM est, & Ratio, & supputatio, & Causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula, quæ subsistunt, quæ universa rectè intelligimus in Christo.* Ex his facilè ad ulteriorem resolutionem fit progressus, cur scilicet potiùs VERBUM, quàm Filium expresserit VERBO, & DEI Filio dilectus. Basilius (hom in hæc verba) Chrysost: (hom: 2.) & alij in unum consentiunt, nè si vocâsset Filium, aliquid fortè carnale, aut patibile Lector cogitaret; quod Doctor Angelicus (in Cap. 1. Joan.) ità exprimit; *nè putaretur esse generatio materialis, & carnalis*, alij alijs insistunt fundamentis; Toletus (in Cap. 1. Joan: añotat. 8.) nervosè quinam rationem reddit. Prima est, quia hæc veritas: *in Principio erat VERBUM*, notior, atque rationi suis etiam viribus relictæ apparet conformior, quàm hæc; *in principio erat Filius*, quæ sola fide noscitur; at prior præter; hoc quod fide certa sit, unà rationi satìs consona illucet; Si enim naturalis ratio dictat unum esse DEum, æternum, & ante omne Principium, Eúmque substantiam esse, mente præditam & intellectualem, necesse est, Eum eadem ratione in seipso intelligere, & loqui ab æterno, unde VERBUM quod æternæ mentis notitiam, & conceptum significat, æternum erit; Mundi enim hæc fabrica variè Auctorem Ejus Sapientem, & mente præditum, & ratione, & Sapientia considerare, & gubernare cuncta probat. Hinc illud Davidis (Psal: 18. v. 3.) *dies diei eructat VERBUM, & Nox nocti indicat scientiam*, id est ordo, & vicissitudo hæc dierum, & noctium, ostendit Auctorem scien-

scientia præditum, & VERBO rationis uti. & Tertullianus (in Apologetico Cap. 21.) tradit aliquos Philosophos Ethnicos, λόγον, id est Rationem, & Sapientiam Artificem fuisse universorum affirmâsse, Platonicisque aliquibus DEI hoc Joannis Exordium placuisse refert August: (Lib. 10. Civit: Cap. 29.) coincidit hæc ratio cum illa D. Thomæ citato loco. Quia Evangelista de Patris manifestatione acturus erat, quæ magìs per VERBUM, quàm per Filium exprimitur; Cui Ludolphus de Saxonia, & alij suam mentem conjungunt; quia nomen Filij solum respectum ad Patrem exprimit, VERBUM autem & eundem respectum importat, à quò procedit, seu ad dicentem & insuper respectum dicit ad id, quod per VERBUM dicitur. Altera causa est, quia mox per hoc VERBUM omnia facta esse pronunciaturus erat Evangelista: at expressior, & significantior est ista veritas, *per VERBUM facta sunt omnia*, *quàm per Filium*, illa enim locutione significatur facta esse cum consilio, & Sapientia, sinè labore, atque difficultate, quia VERBO facta sunt, quæ tamen in hac Sententia (per Filium facta sunt) ità expressè non explicantur. hic citra deviationem coordinatè lubet divertere pennam, postquam progreditur Joannes, & explicat statum secundum VERBI, quando non tantùm apud Patrem erat in Principio, sed etiam ad creaturas cœpit se convertere: *omnia per Ipsum facta sunt*, animadvertéque seriæ suavitatis, (ùt assolet) annotationem D. Chrysostomi (hom. 4. in Joan.) Joannes brevi verbo expressit, quæ Moyses longo sermone conclusit; Nam Moyses per sex dies rerum creationem distribuit; *fiat lux*, *fiat Firmamentum* &c. At Joannes unô Verbô complexus est, dicens: *omnia per Ipsum facta sunt*; nec sinè Mysterio Evangelista brevi usus est Epilogo; beneficium enim *Creationis* Moyses narrans illi populo, qui nondum *Redemptionem* acceperat, multis amplificavit verbis, utpote tunc omnium acceptorum maximum;

mum; at Joannes ad quiddam majus narrandum properans, nempe Redemptionis opus, propter quod DEUS homofactus est, cujus collatione illud jam minus censebatur, ad majora progrediens illius summatim fecit mentionem; Evangelium enim DEum Redemptorem, sicut vetus testamentum Creatorem prædicat. Multò autem majus, & dignius est, DEum hominem esse factum, quàm cuncta à principio creâsse, atque ità tacitè Apostolicus, & Evangelicus insinuat Propheta unum esse, & Eundem DEUM Creatorem, & Redemptorem, cùm utrumque VERBO perfecerit, Eundémque Authorem veteris, & novi testamenti, quibus unà convincitur error Manichæi, & sequacium (Sententia est D. Ambros: lib. 1. de fide cap. 5.) hi enim alium Authorem veteris testamenti, & Creatorem posuerunt, alium autem Novi, & Redemptionis Operatorem, Joannes enim uno, eodémque *VERBO* Eundem docet utrumque perfecisse, ut per Eum recreata, & reparata omnia esse agnoscamus, per quem fuerunt, & facta; ex his facilè *tertia causa* urget; gratiosa enim occurrentia, Joannes novum veteri testamento connexuit, in hoc autem *VERBO* cuncta DEum fecisse narratum est, volens itáque Evangelista hoc *VERBUM* evangelizare, usus est nomine *VERBI*, ut hoc illud esse idem doceret, quod factum est Caro cum *Eo*, quod principio cuncta creavit. *Quarta causa* in dignitate Evangelij est. Vetus testamentum Prophetas habuit Doctores, novum ipsum Dei Filium, & VERBUM Patris, Illéque nobis locutus est, Quo, & in quo loquitur in se DEus. (ad Hebr. 1. v. 2.) ut ergo Filium nobis Doctorem exstitisse significaret, Ipsum Filium *VERBUM* appellat. *Quinta* demum *causa* est, ut origo *Filij* distinctiùs exprimeretur, quia à Patre, & ex mente Patris, & sinè motu, & intrà Patrem, seu consubstantialis Patri procedit; Neque jam porro sublimibus his VERBI mysterijs, & in splendoribus Sanctorum Genito audet insistere animus, quando

do Ipsum Divinum VERBUM ad ima descendit; *Et VERBUM Caro factum est*: Papæ! quàm portentosa summè distantium unio, & altissima in verborum Trinitate Mysteria. *VERBUM Caro* (quàm mirabilia extrema, & omni mirabili mirabilius medium) quod per *Factum* exprimitur. Et omnium mirabilissimum concretum Theandricum *VERBUM Caro factum*. Quod unum attinet extremum nempe *VERBUM*: geminus de hoc hæreticus est error, unus teste Athanasio (hom. in Evangel. Missus est) asserentium VERBUM illud Angeli, quo locutus est Beatæ Virgini, Incarnatum esse; Alter est Eunomij (de quo Athan: Orat: quod ex DEO DEUS) VERBUM non internum, sed quoddam externum DEI, per quod nobis loquitur, & consubstantiale DEO non est, Caro factum esse; Sed utrumque convincit summus Theologus Spiritu DEI veridicè loquens, *hoc VERBUM, quod Caro factum est, idem esse, quod erat in principio apud DEUM, & DEUS erat.* Quod alterum concernit, videlicet *Caro*, rursum bina in hanc impegit hæresis, una Arrij (cujus meminit Ambrosius lib. de Incarnat: cap. 7.) VERBUM carnem solam assumpsisse, non animam, sed VERBUM supplere animæ vices; at hæreticum hunc errorem, jam dudum Oecumenica Concilia anathemate fulminârunt, & sacri Doctores confutârunt, & ipsæ sacræ convincunt paginæ de Christo (Joan. 12.) *anima mea turbata est.* & (Matth: 27.) *tristis est anima mea*, neque enim hæc turbatio, & tristitia potest ità convenire VERBO. Altera est Apollinaris (contra quem Gregorius Nazian: Epist: 1. ad Clidon:) VERBUM sumpsisse quidem carnem animatam; noverat enim hæreticus carnem propriè sinè animatione sanâ Philosophiâ non dici, non tamen animam rationalem assumsisse, sed solam sensitivam asseruit, quòd à multis Concilijs damnatum est assertum. Et animam suam rationalem Ipsum probat VERBUM Incarnatum (Luc. 23. v. 46.) ità supremum in cruce lo-

loquens: *in manus tuas commendo Spiritum meum.* Neque sinè hoc spiritu verè DEus Homo diceretur, apertis tamen testimonijs, & scriptura Christum hominem, & Filium hominis comprobante; unum allegâsse sufficiat (1. ad Corinth. 15. v. 47. & v. 21.) *Primus homo de terra terrenus, Secundus homo de cœlo cœlestis. Et per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*, inattenta nempe fuit hæresis dum sacræ Rhetoricæ, & familiarem hebræis synecdochen non observavit, usitatúmque sacris esse paginis crebriùs per carnem totum hominem designari. Sic (Gen. 8.) *Omnis caro corruperat viam suam.* (Isai 40.) *videbit omnis caro salutare DEI.* (ad Rom. 3.) *ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Neque tamen hæc attendens solam obviam esse translationem quis concluserit, plena Divinis mysterijs Joannea est Sententia: *VERBUM Caro factum est*, prolata, & *non VERBUM homo factum est*; citra enim Mysterium etiam innocentem non præbuisset occasionem errandi; Sacramenti hujus velamen Sacra Interpretum revelat eruditio, primam hujus locutionis causam annotat Cyrillus (lib. 1. in Joan: cap. 15.) *VERBUM sumpsit naturam nostram, ut repararet damna, quæ pro peccato est passa, præcipuum autem damnum mors est, quæ minùs in anima, quàm in corpore regnat, anima siquidem immortalis est, corpus est, quod resolvitur, caro quæ corrumpitur, & ità expressa est ista assumptio in carne*; Eximio & lumine affulget Salmeron (Tract: 27. super cap. 1. Joan.) *ut origo* (inquit) *ægritudinis humanæ sanata per VERBUM demonstretur, nempe caro, quæ in Eva pomum concupivit, & in Adam, nè carnem suam, vel delicias suas contristaret, uxori in peccato consensit.* Antequam enim *Homo* in funestæ arboris fructum offenderet, atque in vitæ Capite Lethali originalis labis signaretur vulnere nunquam *caro* audijt; Illud enim (ut scitè notat Toletus (com. in Joan. c. 1. anno 39) *Caro de carne mea, &*

& os ex ossibus meis (Gen. 2.) non probat ipsam Evam dictam esse carnem, sicut nec dicta est os, neque Adam seipsum carnem dixit, sed carnem Evæ signavit, & ossa quæ sumpta erant de carne sua. Enimvero postquam culpæ contraxit luem, Circeo velut dementatus bolo, propè migravit in bestiam, ità metamorphosis seriem exhibente coronato Vate: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis* (Psal. 48.) & ceu Ratio cum spiritu in carnis abijsset vilitatem; illico carnis dedecoratus agnomine: *omnis caro corruperat viam suam* (Gen. 6.) *Et non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est* (ibidem) ut ergo indicaret Evangelista, quod carnem VERBUM assumpserit, illam, quæ erat de peccatoribus, & quam venerat reparare sinè peccato quidem, sed *in similitudinem carnis peccati* (ad Rom. 8.) caro factum dixit. *Altera causa* Toleto est; ut extremorum distantia magìs exprimeretur. *Tertia* Eidem est, quia sic magìs VERBI cum natura nostra declaratur conjunctio; si enim tantùm dictum esset: *VERBUM homo factum est*, opinioni daretur locus, hoc esse factum, quia animam sumpsit, quæ in carne est, non tamen quia ipsam carnem immediatè sibi univit: at dum dicitur Caro factum est, non relinquitur ambiguum; si enim sibi carnem, quæ remotior, & dissimilior est, VERBUM univit, etiam animam, quæ vicinior, & similior, cum sit spiritualis, & immortalis univisse non dubitabitur. *Quarta causa* Magno placet Augustino (in Epist: 120. ad Honor.) ut benignissima in hoc potissimùm Christi commendaretur humilitas, summa potentia, Sapientia, & Bonitas eluceret, quia summa imis conjungens carnis exilitatem assumere pro hominum salute non indignum ratus, qui *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO* (ad Philip. 2. v. 6.) Stringit hoc suavi nexu Mellifluus (Serm. 3. de Nativ.) *VERBUM caro factum est, Caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens*

tens omnis operis, omnis laboris impatiens. & mox *dum esset in principio apud DEum, lucem habitabat inaccessibilem, & non erat, qui caperet illud, quis enim investigavit sensum Domini, aut quis Consiliarius Ejus fuit? Carnalis homo non percepit ea, quæ sunt Spiritus DEI; sed jam capiat & carnalis, quia VERBUM factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire; Ecce VERBUM Caro factum est; audiat illud vel in carne. O Homo in carne tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese inserit sensibus carnis tuæ; carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi, fuge voluptatem, quia posita est mors secus introitum delectationis.* In prioribus itáque summæ Theologiæ Joannes de VERBI adventu, & Incarnatione tacitè locutus est, perhibens VERBUM lucere in tenebris, & in propria venisse, tandem modum Adventûs explicatè docet: *Et VERBUM* (inquit) *Caro factum est*, & ex mente Oris Aurei (Chrysost. hom. 10.) sunt hæc verba antecedentis causa Sententiæ: *dedit eis potestatem filios DEI fieri, quia VERBUM factum est caro; si enim Filius DEI filius hominis factus non esset, utique homo non factus esset filius DEI.* Ejusdem placiti est Augustinus (lib. 2. de peccatorum remiss. c. 24.) *Per hoc* (inquit) *factum est, ut nati de carne caro, postea nascendo de Spiritu Spiritus essemus.* His etiam verbis (annotatio est Ejusdem summi Hipponensis Doctoris Epist. 120. ad Honorat. cap. 4. & lib. 2. de consen. Evang. c. 3.) dubitanti occurrit Evangelista: *posset enim aliquis dicere, quomodo qui ex sanguinibus, & voluntate carnis, & voluntate Viri natus est, fieri potest Filius DEI? & respondet ipse: nolite admirari, quia VERBUM Caro factum est, & verus DEI Filius factus est homo, ex carne & sanguine, majus est hoc profectò, & illo multò mirabilius.*

QUÆ-

QUÆSTIO XVIII.

Quis suum erga genus humanum profusiùs ostenderit amorem: An DEus Pater per Incarnationem donando Filium, an DEI Filius donando seipsum?

SI *Amantem*, & *Amatum* in bilance ponderet *AMOR*, nil pretiosius reperit amato, deprimitur, & patitur amans, elevatur, & agit amatus; in sua fide Vate canente: Quisquis amat patitur, quis quis amatur agit. Si tamen Poëtica suspecta est Veritas, veridicum infallibilis cantici audiatur carmen: *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* (Canticor: 8. v. 7.) neque in confirmationem exiles creatos lubet attendere amatos, & amantes, quando roborandæ Sententiæ Augustissimum se offert Firmamentum Ipse DEUS amans: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Joan. 3. v. 16.) quantúmque amato humano generi à Divino hoc Amore obvenerit pretium, facilè magnitudinem valoris conjecerit, qui æstimabilitatis infinitudinem DEI Filij non ignoraverit, quem salutem nostram tenerrimè anhelans, non tam dedit, quàm in redemptionis pretium prodegit Divinus Amans, neque solus DEus, ùt individuus est in essentia in, dilectionem nostri exarsit, insuper quælibet ex Personis Divinissimis amoris sui excessum grandi Amantis opere homini amato voluit contestatum. Divinus Pater egenti mundo largissimo affectu suum donat Unigenitum; Et Ipse Divinus Filius amabilissima inclinatione affectuosæ propriæ largitatis pereunti Orbi elargitur seipsum in salutis medelam, Tubam testor Apostolicam, Galatis (cap. 2.) decumanum hunc DEI Filij amorem promulgantem: *quia dilexit me, tradidit semetipsum propter me*; Attonitus geminum hunc ingentem inter amorem hæret Theologicus Oedipus

dipus, jussus intricatum enodare Mysterium; Ecquis ardentiùs hominem dilexerit, an Pater, qui dando Filium nil majus dare habuit, an Filius, qui seipsum offerendo nil pretiosius deferre potuit? Eximiæ discretionis Lumen Suarez (Lib. 1. de Trinit: cap. 2.) præsentem pretiosæ indaginis ponderans Sententiam, ut nè in alterutram inclinando impingat partem, æquipondium utrique addicit; Eximium hoc testimonium & suum facit Sylveira (Tom. 2. lib. 4. Quæst: 43. n. 245.) hoc ità in consensu Theologico referens: una creatura magìs diligit se, quàm alteram, & magìs appetit sui conservationem, quàm alterius; at in Divinis Personis amor est æqualis, & Pater æqualiter amat se, ac Filium; proinde æqualis & amor, párque orbi redimendo expensum fuerit pretium, seu Pater se, seu pro se parili dilectione dederit Filium, rigorem tamen Theologicum tenerior dissimulans affectus, non tam Scholastici Judicij arbitrio, quàm piæ meditationis & asceticæ reflexionis privilegio, argumento ad hominem usus more humano de amoris excessu DEUM Patrem inter & Filium, cujus Divinæ dilectionis factus meta, & scopus homo, pro salutari redamationis incentivo pacifica Religione disceptabit. DEI Patris erga humanum genus amori primus, qui primas defert Divinæ Providentiæ Studiosissimum solsequium, est Salvianus lib. de provident:) *plus nos amat DEUS* [inquit Ille] *quàm Filium Pater, evidens quippe res est, quòd supra affectum filiorum nos diligit DEUS, Qui propter nos Filio non pepercit; & quid addo; & hoc Filio Justo, & Filio Unigenito: & hoc Filio DEI.* Et si audet non temeraria, sed pia comparatione progredi affectus, & in humanis attento Patre ardentiori amore Filium, atque seipsum complectente, vehementiorique dolore afflicto, dum dilectum in cruciatibus cernit Filium, quàm si Ipse subjiceretur torturæ, si licet ad Divini Patrni reflectere Amorem dilectissimum suum Unigenitum pro humani generis salute in crudelem

lem Crucis mortem tradentis, propè (ità loqui si licèt) ardentiorem impensam dilectionem à Patre dando Filium, quàm tormenta tolerando exhibuisse Filium concluserim. Cui Sententiæ in superioribus relatus non porrò refragatur Sylveira ità (citatô locô n. 248.) in sensum hunc concedens: *aliquomodo dici posse videtur, quòd plus amoris Pater ostendit. Non enim exaggeratur Divinus amor, quòd DEI Filius pro nostra redemptione vitam exhalaverit, sed quòd Pater Unigenitum Filium sibi dilectissimum pro nobis ad mortem dederit; amoris celsitudo plus clarescit, ac foras prodit, dum res amata doloribus, tormentis, ac morti exponitur, quàm dum Ipsemet Amans mortem amplectitur.* Porro excessum hujus dilectionis pro Divino amore zelantissimus Ephesijs (cap. 2. v. 4.) descripsit Apostolus: *DEus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, vivificavit nos in Christo.* Verùm & ingentis amoris deliberatâ Sententiâ libretur pondus, quô amabilissimo affectu ad humanum genus se inclinavit DEI Filius, tanto quidem excessu, ut non contentus solo uniri affectu, sed & indissolubili Unionis Hypostaticæ vinculo se dilectæ conjunxerit humanitati; quanquam enim Incarnationis negotium lege lata Unigenito suo commendaverit Pater, Divino per labia Psaltis Regij (Psal. 39. v. 8. & 9.) loquente VERBO: *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEus meus volui; & legem tuam in medio cordis mei.* Attamen liberali oblatione præceptum prævenit, latum liberè acceptavit, & minimè invitus consumavit; non solùm gratiosam hanc libertatem contestante in lege veteri Propheta: *oblatus est, quia ipse voluit* (Isai: 53. v. 7.) & in nova Apostolo: *Semetipsum exinanivit - - humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (ad Philipp: 2. v. 7. & 8.) Sed & Ipso de se DEI Filio Incarnato, id in plenitudine Veritatis Theandrico labio comprobante:

 ego

Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo. (Joan. 10. v. 17. & v. 18.) manifestaverit ergo incitatissimum in humanum genus ardorem Divinus Pater, quando dilectum Filium incarnari jussit; at longè (humano ità liceat more loqui) ardentiorem probaverit affectum Filius DEI, dum, ut Incarnationi destinari posset, consensit, & effecit; confirmat hæc suffragiô suô Mellifluus (Serm. 4. hebd: Pœnosæ) *fidelis sermo* (ait) *& omni acceptione dignus: quia enim voluit, oblatus est; non modò voluit, & oblatus est, sed quia voluit: solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam.* Excelso amore Mundum complexus est Cœlestis Genitor, elargiendo Illum, quem Divinis habebat in amoribus, at amantiorem sui expertus orbis DEI Filium, asperrimum Patris præceptum conversandi cum hominibus, pro his patiendi, & moriendi summis in delicijs connumerantem, in testimonium Divina percipiantur oracula: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum* (Prov. 8. v. 31.) *desideriò desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (Luc. 22. v. 15.) & innocentes has delicias præprimìs Incarnationis concernere Mysterium, purpurata Damiani Sententia edixit (Serm: de Annunc.) loquens de Virgineo Mariæ utero: *hìc locum* (inquit) *voluptatis intelligo, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus*; atque si Magno Gregorio probatio dilectionis exhibitio est operis, progressum excessivi amoris ab utero usque ad ignominiosam perpende Crucem, in qua non jam fortis ùt mors dilectio, sed ipsa morte fortior amor semper vivacissimus gloriosè triumphavit, & postquam in cruce omnia consummâsset, amorem tamen genus erga humanum nullo fine consummavit; VERBUM Divinum, in Incarnatione humanitatem intimo charitatis amplexu strinxit

strinxit, & in cruce; dum anima separaretur à corpore, à neutro tamen unquam fuit VERBUM, seu affectu amoris, seu Unione Hypostaticæ conjunctionis separatum, & sive VERBUM foret *activum*, sive *passivum*, semper dixit *amo*, & fuit *Amor*, & soli huic Divino *VERBO* proprium est diligere VERBO, & unà summo diligere *opere*, non enim hoc VERBUM in amore humani generis *dictum*, sed *Caro factum est.* Neque solùm Creator dixit, & factum est propter hominem, sed & Redemptoris dictum; factum fuit amore hominis, *bene omnia fecit* (Mar. 7. v. 37.) Magnificentiámque hujus amoris ardentis devotionis celebrat Versu Ecclesia VERBO dilectissima: *Se nascens dedit Socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Ultro amabilem de Divini VERBI amoris excessu in argumentum Mellifluì Doctoris allego discursum: *Placétne tibi Domine JEsu* (inquit S. Bernardus in festo Pentecost: serm: 2.) *ut dones mihi vitam tuam, sicut dedisti conceptionem? quia non solùm conceptio mea immunda, sed mors perversa, vita periculosa, & post mortem restat mors gravior, mors secunda. Non solùm ait: conceptionem meam, sed & vitam meam, & hoc per singulos ætatum gradus infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis tibi donabo, adjiciens mortem, resurrectionem, ascensionem, & missionem Spiritûs Sancti. Hoc autem ideo, ut conceptio mea emundet tuam, vita mea instruat tuam, mors mea destruat tuam, Resurrectio mea præcedat tuam, ascensio mea præparet tuam, porrò spiritus adjuvet infirmitatem tuam. Sic enim planè videbis & viam, per quam ambules, & cautelam, quâ ambules, & ad quam ambules mansionem. In vita mea cognosces vitam tuam, ut sicut ego paupertatis, & obedientiæ, humilitatis, & patientiæ, charitatis, & misericordiæ indeclinabiles semitas tenui, sic & tu eisdem vestigiis incedas, non declinans ad dexteram, neque ad finistram. In morte autem mea dabo tibi justitiam*

 meam

meam, dirumpens jugum captivitatis tuæ, & expugnans hostes, qui sunt in via, vel juxta viam, ut non apponant ampliùs nocere tibi. His autem completis revertar in domum meam, unde exivi, & ovibus illis, quæ in montibus remanserant, & quas propter te reliqueram, ut non te ducerem, sed reportarem, reddam faciem meam; Et suavissimis his serium Oris aurei de inæstimabili VERBI Incarnati amore, insuper ipsam carnem à VERBO assumptam homini offerentis in perennis amoris alimentum, subnecto pro reciproca dilectione argumentum (Chrysost: hom: 61. ad populum Antiochenum) *ut itáque non tantùm per charitatem hoc fiamus; verùm etiam ipsa re in illam misceamur carnem; hoc námque per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet; propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus tanquam corpus Capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est.* Unde excessu hoc amoris Pauli abreptus spiritus excors cor non redamans, fulmine damnationis percellit: *si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, sit anathema.* (1. ad Cor. 16. v. 22.)

QUÆSTIO XIX.

Quid in votis magis fuerit VERBO: patine, & mori, an Incarni?

URget Theandricus Amor desiderijs argumentum, in partitione quæstionis dilectionem non dividens, sed in Incarnatione, Passione, & morte charitatem adunans, & propositorum votorum dissidium unius amantis esse concordiam, in proposito problemate consentiens in unum, non inficiaberis, si absque divisione a motis libuerit Christophilum advertere discurrentem; & sanè mysterio nequaquam vacat, quòd legis novæ Con-

Conditor, qui quoad in terris apparuit, & cum hominibus conversatus est, ritûs Mosaici ex asse fuerit observantissimus; Agni tamen Paschalis esum nusquam, quàm vitæ sub confinium avidiùs exoptârit; Ipsa propalam attestante Veritate Incarnata: *desideriô desideravi hoc* Pascha manducare (Luc. 22. v. 15.) quem in locum pretiosa reflexione quærit Chrysostomus: *quam ob causam hoc Pascha dicit: tametsi alio quoque tempore festum illud cum ipsis peregit.* Et amabò; quam tandem ob causam? respondétque quæstionis Author: *quoniam secutura crux erat*; & rursus: quia videlicet tunc salutem totius orbis erat allaturus, tunc mysteria traditurus. Amor ergo crucis, ardórque patiendi has desiderantis voces VERBO expressit; in confirmationem Magni Nazianzeni Theologi audiatur Sententia, qui (Orat. 9.) Julianum alloquens, recensitis prolixè singulis, quæ amore nostri benignissimus perpessus est Salvator, tandem amoris urget argumentum: *hæc Salvator fecit! idque cum voluntate sola nobis utpote DEUS salutem afferre posset, quemadmodum & universam rerum machinam solo jussu, atque imperio procreavit; majus autem, & ad incutiendum pudorem accomodatius nobis contulit.* Tam lentos in redimendo progressus miratur Anonymus (Orat: de Nativ: apud Cyprianum) in brevi (inquit) poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreviari ad solum Christi Verbum; sicut factus Mundus, & disposita cuncta ad Ejus Imperium. Itá nempe liberalissimus, suíque penè prodigus Salvator, cùm verbô posset, & guttâ, salutari multiloquio redemit, & profusi sanguinis undâ, & charitatis patientis torrente, atque ità totus transmutatus in amorem, vix jam suus, totus noster Emmanuel etiam in passione factus est, ità, ut amabili Huic patienti Seraphicus Franciscus amore vulneratus, compatiens, sibi subscriptum potiori titulo Authori Dilectionis inscribat carmen:

Urit amor, me torquet amor, sum factus amori
Alter amor, meus est Victor amoris amor.
Hunc mihi non spina, non crux, non lancea tollet.

Tantum proinde crucis desiderium in DEI Unigenito est, ut desiderantis Incarnari ùt sit ardens propè submitterem votum, nisì pondus prioris elevaret alterum, & patiendi desiderium ipsum Incarnandi desiderium augeret. Patriarcharum hìc testor desideria ardentissimè Incarnationem suspirantia: *rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* (Isai: 45 v. 8.) Quid enim amabò invocatio cœli, & terræ sibi vult aliud, quàm, ut illud in Salvatore Divinum VERBUM, Hæc verò præbeat in Redemptore Humanitatem, & si magnitudo boni magnitudinis desiderij est mensura, jam Majoritatem desideratæ Incarnationi addico, amplius enim Divinum VERBUM homini sublimis affectûs præstitit, quando humanitatem sibi conjunxit in Virgineo utero, quàm dum in humanitate affigeretur cruci, longéque excellentior Divini amoris dignatio, Immortalem mortalitati uniri, quàm Mortalem mori; Si tamen Divina charitas patiens prærogativam sibi vendicet in cruce, hanc in momento Incarnationis VERBUM Incarnatum sibi promptus imposuit, & Theandricus Amor jam in utero fuit crucifixus. Eadem die eligens Incarnari, qua voluit in cruce mori, Romano hanc diei coincidentiam firmante Martyrologio, pœnitentis Latronis 25. Martij pium obitum recolente, qua utique die à moriente in cruce DEO Homine, Paradisi hæres nominatus fuit; & si minus roboris ab extemperaneo hoc est argumento; relata jam in superioribus (quæst. 14.) repeto, *ad hoc descendit* (inquit August. serm. 10. de ann.) *Christus in uterum, ut exinde acciperet membra, quæ traderet cruci, neque enim Salvator noster in solo Calvariæ monte passus, sed potiùs Ejus passio hodierna die in Nazareth sumpsit*

sumpsit exordium, mox videlicet, ut mortali nostra carne amictus est. (Joseph: Mansi Dis. 17. de ann.) quid quid lugubris historiæ de Christo Evangelicus refert Quaternio, totum in VERBI Incarnati fuit conspectu, in omnia tormenta consentiens amore hominis, quem ut pupillam dilexit; per Propheticum labium loquente Christo: *Dolor meus in conspectu meo semper* (Psal. 17.) datáque Filio ab æterno Patre optione, mundum ex placito vel ad gaudendum, vel ad dolendum ingrediendi, *propositô sibi gaudiô sustinuit crucem* [ad Heb. 12.] quæ Seraphicus Doctor meditans in tenerum erumpit affectum: *Volve* [inquit] *& revolve vitam boni JESU, & non invenies Eum nisì in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit* [Bonavent. serm. 3. de pass.] sed nemo vivaciùs Incarnati VERBI, & in cruce morientis dolorem, quàm Ipse DEI, Hominísque Filius Martyrum Princeps expresserit; audiatur Divinum VERBUM: incesserat aliquando pia quædam S. Catharinam Senensem noscendi curiositas, & ex Virginum Sponso innocens resciendi affectus, quisnam Eidem dolor acciderit perpessu gravior, an, quem in cruce moriens sustinuit in corpore, an, quem animo pertulit Incarnatus? cui in hæc verba respondit Veritas: *esto secura, quod inter dolorem corporis, & mentis nulla fieri possit comparatio, nunquid enim recordaris, quòd dum Nativitatem meam tibi manifestavi, tu me in specie recens nati, & collo crucem pendulam gerentis Pueruli conspexeris? considera igitur; quòd eàdem horâ, quâ ego VERBUM æternum in utero Mariæ carnem assumpsi, crucem quoque desiderij inceperim perpeti, fuítque crux ista longè mihi dolorosior, quàm quævis alia, quàm in carne mea unquam sustinui.* At, quò dicta volumus? an non est à scopo aberrâsse; dum metam statuentes *desiderium*, deflexímus ad dolorem; hujus in resolutionem dubij, dicta sparsim stringat anacephalæosis: Patris Sapientia Mundi ab exordio ludens in orbe terrarum, per

non, tantáque figurarum prodigia huic præluserat Incarnationi, tandem ut ostenderet suas cum Filijs hominum esse delicias, naturam in se suscepit non Angelicam, sed humanam, factúsque est Filius Hominis Virginis, hominúmque Frater. Vin plura? *amoris magnitudo* (glossa est Cornelij à Lapide in cap: 8. Proverb:) *Christo omne miseriæ humanæ fel in mel convertit, omnes dolores in delicias, amor effecit, ut Ipsi in delicijs essent nostra fames, sitis, labor, dolor, mors, & cruces*, & quid demum? magnitudo doloris mensura est amoris, & amoris vehementia desiderij est decempeda: quanto enim cum amore quid possidetur, tanto cum desiderio absens postulatur; priusquam tamen æquus decidat arbiter [cui libertatem cedo judicij] utra pro parte stet VERBI desiderium amplius, an pro morte per Passionem, an pro vita per Incarnationem? penitiùs adhuc affectuosâ morâ VERBUM Incarnatum in Virgineo utero intueatur pro humano genere crucis Aram prævertens, factum *Hostia, Victima*, & *Sacerdos*; geminum sacrificium pro salute populi Numen Incarnatum obtulisse ampliùs, quàm in comperto est: alterum incruentum in suprema Cœna, cruentum alterum in Ara crucis, tertium desiderij utrumque complectitur in Incarnatione solennissima charitate celebratum, & non minùs, imò ardentiùs reliquis desideriô desideratum, in sui enim oblatione Primitias Summus habuit Sacerdos, & citra omne ambiguum ferventissimus primus ille fuerit actus, quô VERBUM Incarnatum in primo Hypostaticæ conjunctionis momento se salutarem pro humano genere imolavit Hostiam, & jam tunc totius vitæ progressum ad consummationem usque mortis æterno dedicavit Patri, quod super omnem rationem sua authoritate firmat Gentium Doctor [ad Hebr. 10.] ità DEI Filium cum Psalte Regio [Psal: 39.] loquentem inducens: *holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam DEUS*

DEUS voluntatem tuam, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis JESU Christi semel. Gratissima itáque, & desideratissima prima VERBI Incarnati fuit oblatio, & Victima Virginalis ad Aram uteri DEO immolata, sacerrima nempe Mater à Divino Architecto Spiritu in Templum efformata, Divinissimum excepit Mysten, *qui Idem Sacerdos, & Hostia* [S. Ambros. lib. 3. de fide cap. 5.] se se Redemptioni nostræ, nullâ jam aliâ desideratâ victimâ totum quantum devovit: *voluntate sanctificati sumus* [ad Heb. 10. v. 10.] ità, ut jam tum pro Hostia nobis esset DEI Filij voluntas, hanc autem in Primitijs Incarnationis in manus Patris iresignatissimam fuisse, non est, qui audeat ambigere. gitur & Victimam DEO gratissimam fuisse quisque confiteatur necessum est. Concluso huic annuit Chrysostomus, illud Apostoli ad Hebræos [cap. 9. v. 11.] pertractans: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum*; Redemptorem nostrum non solùm in cruce, sed ab ipsa sua Incarnatione pro salute nostra cœlo operatum fuisse; concinnè arguit; mentem & suam conjungit Theophylactus [hìc à Cornelio à Lapide citatus] *non dixit* [inquit] *factus est electus, sed accedens Pontifex, hoc est; in hoc ipsum veniens, non priùs accessit, & deinde casu ità veniente factus est Pontifex, sed scopus, cur in terram venerit, Pontificatus erat* Cœpit nempe cum Incarnationis primordio solemnissima decreti ab æterno Sacrificij Festivitas, quando Agnus DEI peccata Mundi laturus, naturam humanam induit, Divinæque Voluntati à refractaria voluntate humana læsæ, suam voluntatem promptissimè submisit; næ tunc pro salute nostra gratissimum DEO sacrificium erat optimæ voluntatis; & si tandem obstat, quò minùs utero Virgineo latens DEUS dicatur Victima, quòd nondum crucis attigerit Aram, non dissentior, consummatum intrà viscera Virginea sacrificium non fuisse, at quòd eo temporis pretioso momento, quo Incarnatum VERBUM est, gratissimum

simum cœlo Holocaustum non cœperit, inficiari non ausim, quanquam & VERBUM Incarnatum jam in utero crucifixum asseruerimus; audiant per me licet aliæ victimæ, tunc primùm Hostiæ, quando etiam invitæ sub ferrum cadunt, sui Sacrificium voluntarium est, princépsque Caput est Hostiæ, quod incipit in bona voluntate, neque placeret Victima, si prona sacrificanti non assisteret libertas, à Primitijs Incarnationis Sacrificium in cruce consumatum suum habet pretium, & quidquid valoris in victima, in VERBO Incarnato fundatur, & appretiatur, à cujus boni magnitudine amplitudinem propositi desiderij pro Incarnationis summo bono, regente, atque recta ratione concludes.

QUÆSTIO XX.

Cur Incarnationis opus ab Angelo potiùs Spiritui Sancto, quàm aliis attribuatur Personis?

ARtifices Athenæ, nunquam non consiliô, & industriâ dilaudatæ, picturæ consummatum opus, imaginémque dispersarum aliàs coloratarum excellentiarum omnibus numeris absolutum collectum compendium publico exhibituri spectaculo, non unius Apellis penicillum accivêre in auxilium, sed universam Pictorum Academiam in curas, & labores coëgêre, ità, ut sparsas per diversa capita ideas in unam æstimatissimi artificij colligerent tabellam, ut ità excellentis artis ad invidiam naturæ perfectissimum exponeretur monumentum; at humanæ reflexionis artifex hæc est industria, super omnia creatæ rationis inventa in Divino Consilio perficiendum perfectissimum cogitatur opus, & consummatius super fabulosum in Pandora Deorum artefactum, Divinarum perfectionum efformanda est Imago, VERBUM scilicet Incarnatum; ut nempe VER-

VERBUM, quod est *Imago Bonitatis Illius* [hoc est DEI] loquente ità Divina Sapientia [Sap. 7. v. 26.] *splendor gloriæ, & figura Substantiæ Ejus* [ad Hebr. 1. v. 3.] per Incarnationem quoque fieret ad similitudinem hominum, prout de Christo loquitur Apostolus [ad Philip. 2. v. 7.] *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo*; ad Divinam hanc perficiendam Imaginem tota Sanctissima concurrit Trinitas, manum Protoplastes Pater operi admovet, Sapientia Patris Filius agit Ideam, Spiritus Divinissimus Hanc umbris, & lineamentis instruit, quò sua Oratione de DEIpara collimat Athanasius: *obumbravit* [inquit Mariam] *Virtus Altissimi corroborans Eam, & Divinæ umbræ Imaginem induxit, ut inde lineamentis collectis videre posset, quatenus possibile est DEUM formæ expertem in se concipi*, hoc ergo in absolutissimo Divinorum Mysteriorum Exemplari, & Patris Potentia, & Filij Sapientia, & Bonitas Spiritûs Sancti, atque tota SS. Trinitas, potentissimè, sapientissimè, & optimè operata fuit; nam *indivisa sunt opera Trinitatis, sicut & indivisa Trinitatis est essentia*, ùt Magnus notat Aurelius [primo de Trinit:] singulæ itáque Personarum Divinarum in partem, & in totum excellentis hujus operis concurrunt, dum *Mysterium à sæculis absconditum* [ad Coloss: 1.] luce publica donandum fuit, hinc ex mente D. Aquinatis, opus conceptionis secundùm modum aliquem singulis Trinitatis Personis attribui asserit, nam Patri attribuitur Authoritas respectu Filij, qui per hujus conceptionem sibi assumpsit humanam naturam, Filio autem tribuitur ipsa carnis assumptio, Spiritui Sancto verò formatio corporis, quod assumitur à Filio. Neque in propositum Gabrielis Archangeli pugnant verba, quæ à metu eliberandæ Virgini DEIparæ adhibuit [Luc. 1. v. 35.] *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quamvis enim conceptionem DEI Filij peculiari ratione Spiritui Divinissima-

nissimo attribuat Caduceator Angelicus, totum tamen Incarnationis Mysterium integram Divinam Triadem habuit pro Authore, ità universâ conclamante Theologia, quia tamen minimè otiosâ Evangelicô labiô enuntiata de Spiritu Sancto est peculiaritas: *Spiritus Sanctus superveniet in te* (Luc. 1. v. 35.) piæ indaginis est hujus rationis pensare momenta in triplici capite Angelici Doctoris (3. p. quæst. 32. a. 1.) testimoniô fundata; *primò quidem, quia hoc congruit causæ Incarnationis, quæ consideratur ex parte DEI; Spiritus enim Sanctus est Amor Patris, & Filij — hoc autem ex maximo amore provenit, ut Filius DEI carnem sibi assumeret ex utero Virginali.* Et Ipsum hunc amorem præcipuam sui adventûs causam docuit Veritas Incarnata (Joan. 3. v. 16.) *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Et sanè; non sic Nilus in Ægypti campis desideratam bonorum cum aquis uspiam diffundit affluentiam; ut *charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* (ad Rom. 5. v. 5.) Non sic salutares fontium liquores sterilem fœcundant terram, ut Divinissimi Spiritûs fons donorum, gratiarúmque largitate influit ad varia virtutum, Sanctarúmque operationum germina producenda, quæ Euthymius argumento à similitudine fusiùs declarat: *sicut aqua* (inquit) *de cœlo descendens nutrit, ac vivificat, cùmque sit unius speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in absynthio; ità Divinissimus quoque Spiritus de cœlo descendens nutrit, ac vivificat animum; cùmque unus sit, varijs operationibus gratiam dividit, ac virtutem;* audiatur & aptè ad rem Tertulliani glossa, quam Apostolicæ (1. ad Cor. 14.) doctrinæ subtiliter subnectit: *Hic est, qui Prophetas in Ecclesia constituit, Magistros erudit, linguas dirigit, virtutes, & sanitates facit, opera mirabilia gerit, consilia suggerit.* Supra omnem tamen Spiritûs Sancti fructuum abundantiam, est benedictus

Virgi-

Virginei Materni uteri Fructus, roborante hoc Mediolanensi Præsule (lib. de Myster) *Corpus Christi fructus Divini Spiritûs est*, & confirmante D. Chrysologo (super verba: Spiritus Sanctus superveniet) *quod de carne* (ait) *natum est caro, & quod de Spiritu, Spiritus est; qui ergo de Spiritu nascitur, sinè controversia DEUS est, quia Spiritus DEUS est.* Unde alterum fundamentum est; & primò proximum locum obtinet ex mente citati Angelici causa Incarnationis, ut in considerationem venit ex parte naturæ assumptæ; quæ non ex operibus Justitiæ, quæ fecimus nos, assumpta fuit, neque Ipse Christus per meritum bonæ voluntatis obtinuit esse Filius DEI, ut voluit Photinus; neque etiam opera alterius cujuscunque creaturæ rationalis potuerunt esse meritoria hujus ex condigno Unionis, tum quod includatur Principium meriti, & gratiæ, tum quod sit omnem ad condignitatem actum meritorium transcendens (S. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 11.) Igitur, quòd caro nostra ad tantam evecta sit dignitatem, amplissimum maximæ gratiæ opus est, quæ rursus etiam suffragantibus sacris Paginis peculiariter Spiritui Sancto addicitur: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus;* supplexque votum est Ecclesiæ: *Spiritûs Sancti gratia, illuminet sensus, & corda nostra;* SS. PP. Authoritatem in unum Magni Aurelij Caput consigno, ità in Enchiridio suo (cap. 40.) de hac gratia differentis: *iste modus, quô est conceptus, & natus Christus de Spiritu Sancto, insinuat nobis gratiam DEI, quâ homo nullis præcedentibus meritis in ipso primo exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, VERBO DEI copularetur in tantam Personæ Unitatem, ut Idem Ipse esset Filius DEI, qui Filius hominis, & Filius hominis, qui Filius DEI.* Tertia demum prioribus nihilo inferior ratio est in termino Incarnationis, *Ad hoc enim* (porro discurrit Angelicus) *terminata est Incarnatio, ut homo ille qui conciplebatur, esset Sanctus, & Filius Dei; utrumque autem horum*

attri-

attribuitur Spiritui Sancto; nam per Ipsum efficiuntur homines Filij DEI, secundùm illud (Gal. 4.) *quoniam estis Filij Dei, misit DEus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Ipse est etiam Spiritus Sanctificationis, ùt dicitur.* (Rom. 1.) *sicut ergo alij per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint Filij Dei adoptivi: ità Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis -- & Angelus annuntians, ex hoc, quod præmiserat, Spiritus Sanctus superveniet in te, concludit, ideoque & quòd nascetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei.* (3.p. quæst. 2. a. 1. in ☉.) Ab Angelica hac Sententia non recedit Rupertus (lib. 1. de Gloria, & honore Filij) in quæstionem revocans, cur *Spiritûs*, & *Sancti* quidem titulus soli tertiæ è Divina Triade Personæ censeatur proprius, cùm tamen neque Pater, neque Filius non sint Spiritus, sed omnes tres sint Spiritus, omnes tres Sancti? & tandem sic Ipse sibi responsa solvit: *nimirum* [ait] *quia tota Persona hujus operatio non aliud, nisì sanctificatio est*; paulò diversam non tam re, quàm verbis à priore refert quæstionis resolutionem Mellifluus: *Filius Spiritus, Pater Spiritus, Spiritus Sanctus Spiritus est, Spiritus tamen Sanctus, quasi specialiter Spiritus dicitur; quòd ab Utroque procedat firmissimum, & indissolubile Vinculum Trinitatis, tanquam, propriè Sanctus, quòd sit Donum Patris, & Filij, omnem sanctificans creaturam.* Adeò nimirum profusus in salutem nostram DEUS est, ut ceu, non satìs foret, Dei Patris [ità loqui affectui admirationis liceat] totam expensam esse omnipotentiam, Dei Filij totam impensam Sapientiam, Redemptionis insuper operi Utriusque Amor Sanctus Spiritus totum suum affectum expendit, & impendit; neque jam miremur antiquis temporibus [quæ Absolonis Abbatis Serm: 37. est observatio] Spiritum Sanctum parcùm quodamodo fuisse, quia tunc statui gratiæ thesaurizavit,

vit, ut divitias gratiarum fons inexhaustus Divinæ Bonitatis per summam Incarnationis gratiam citra depretiationem diffunderet, quanquam id silentiô premendum non arbitrer, quòd ex Virginis obumbratione, támque immenso liberalitatis dono in Spiritum quoque Divinissimum nova quædam prærogativa sit derivata; Si enim veteris testamenti, sanctissimis pariter literis, quarũ æquè veridicus Author Divinus est Spiritus, intenderis animum, observabis [prout complures sacras Paginas interpretantes animadvertunt] quòd quoties tertia Triados Persona nominatur: *Spiritus DEI* [Gen. 1. v. 2.] *Spiritus Domini* [1. Reg. 10. v. 6.] *Spiritum tuum bonum dedisti*: [2. Esdr. 9. v. 20] *Spiritus Sapientiæ* &c. [Isai: 11 v. 2] non itèm Spiritus Sanctus cognominetur priùs, quàm Virgineis Mariæ visceribus se se infuderit; Sic nempe Mysterium illud Mysteriorum Incarnationis Divinæ in Omnipotentia DEO Patri, in Sapientia Dei Filio, & in Amore, Gratia, & Sanctitate Spiritui Sancto, novam & majorem Dei Triunius Gloriam consummato perfectionis opere, quo se communicare potuit, solemnissimè promulgavit.

THESES THEOLOGICÆ
EX TERTIA PARTE.

XLI. Sacramenta sunt signa practica respectu sanctitatis suo statui proportionatæ; alia sunt novæ, alia antiquæ legis Sacramenta; priora sunt causæ respectu gratiæ habitualis, posteriora tantùm eam significant.

XLII. Sacramenta novæ legis constant rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ; intentio Ministri non est pars essentialis Sacramenti; vivorum Sacramenta conferunt subinde per accidens gratiam primam

mam, mortuorum verò aliquando per accidens secundam. Causant gratiam solùm moraliter.

XLIII. Baptismus, Sacramentum regenerationis, necessarius est necessitate medii vel in re, vel in voto; ejus materia remota est aqua elementaris, proxima ablutio; forma: *ego te baptizo &c.* Confirmationis Minister Ordinarius est solus Episcopus.

XLIV. Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti materia remota Corporis est panis triticeus, Calicis vinum de vite, cui ex præcepto Ecclesiæ modicum aquæ admisceri debet, quæ mediatè in Sanguinem convertitur. Forma consecrationis corporis est: *Hoc est Corpus Meum*; Calicis: *Hic est Calix Sanguinis mei &c.*

XLV. Pœnitentia est virtus specialis, cujus ùt prosecutivæ objectum formale est honestas reconciliationis, & materiale reconciliatio propria cum DEO.

XLVI. Ut verò fugitiva est, formale illius est malitia offensæ Divinæ; materiale est peccatum à pœnitente commissum. Implicat actus fugæ, qui nec implicitè, exercitè, aut æquivalenter sit amor alicujus objecti.

XLVII. Omnis & sola persona peccabilis est subjectum pœnitentiæ proximè dictæ. Contritio perfecta statim & infallibiliter adjunctam habet remissionem peccati mortalis.

De potentia absoluta potest remitti peccatum mortale, quin remittatur pœna æterna.

XLVIII. Non implicat absolutè remitti unum peccatum mortale sinè altero. Merita operum supernaturalium per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam. Lapsis in mortale defacto necessaria est necessitate medii pœnitentia formalis vel in re, vel in voto ad salutem.

XLIX. Præceptum pœnitentiæ non obligat pro statim; & absolutè remitti potest peccatum sinè omni pœnitentia. Physica Sacramenti pœnitentiæ essentia constituitur ex actibus pœnitentis tanquam materiâ, & verbis sacerdotis tanquam formâ.

L. Essentia formæ adæquatè consistit in his verbis: *absolvo te*; Sacramentum pœnitentiæ potest esse validum, & informe. Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium complent novæ legis Sacramentorum septenarium.

QUÆSTIO XXI.

Cur præ Patre, & Spiritu Sancto, DEI Filius Incarnatus sit?

THeologica observantia hic rursum Divinæ Voluntati suum inclinat consensum, & Divino *VERBO* submittit labium, ex Sapientissima DEI Voluntatis executione hoc in Mysterio primario argumentorum fonte quæstionem propositam resolutura; & nè calamus humana

mana manu directus, vel literam in tanto *VERBO* describat inconvenientem, de convenientia Incarnati DEI Filij, Doctoris Angelici in compendio ex summa: objicientem, solventem & decidentem allego pennam; & pro *Patris* quidem *Incarnatione* urgere apparet argumentum; per hoc enim Mysterium homines ad veram DEI cognitionem sunt perducti (Joan: 18. v. 37.) *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam Veritati*; Sed ex hoc (subjicit S. Doctor 3. p. quæst: 3. a. 8.) quòd Persona Filij DEI est Incarnata, multi impediti fuerunt à vera DEI cognitione, ea, quæ dicuntur de Filio secundùm humanam naturam, referentes ad ipsam Filij Personam, sicut Arrius, qui posuit inæqualitatem Personarum propter hoc, quod dicitur (Joan. 14. v. 28.) *Pater major me est*; qui quidem error non provenisset, si Persona Patris Incarnata fuisset; nullus enim æstimâsset Patrem Filio minorem, Insuper Incarnationis effectus *recreatio* quædam humanæ videtur esse naturæ, attestante Apostolo (ad Gal. 6. v. 15.) *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura*; creandi autem potentia Patri appropriatur. Pro Incarnatione verò tertiæ Divinæ Personæ hujus Mysterij ipse in argumentum Incarnationis videtur esse finis; Incarnatio enim ad remissionem peccatorum ordinatur, comprobante hoc sacra Pagina: *Vocabis nomen Ejus JESUM; Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* (Matth. 1. v. 21.) remissio autem peccatorum Spiritui Sancto Evangelica veritate attribuitur: *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* (Joan. 20. v. 25.) Verùm quæ sine fundamento fidei corruunt, nulla charitate formata, adversa dissolvit argumenta Doctor Angelicus, *nihil est* (inquit) *quo humana malitia non possit abuti, quando etiam ipsa DEI bonitate abutimur secundùm illud* (Rom. 2.) *an divitias bonitatis Ejus contemnis? Unde etiam si Persona Patris fuisset Incarnata, potuisset ex hoc homo alicujus erroris occasionem sumere: quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam*; Altera difficultas pro Incarnatione Filij argumentum facilitat, prima etenim rerum *creatio* facta est à Potentia Dei Patris per VERBUM, *unde & recreatio* (mens est Sancti Thomæ) *per VERBUM fieri debuit à potentia DEI Patris, ut recreatio creationi responderet, secundùm illud* (2. ad Cor. 5. v. 19.) *DEus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Tertio ità reponit Angelicus Aquinas: *Spiritui Sancto proprium est, quod sit donum Patris, & Filij, remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum tanquam per donum Dei, & ideo convenientiùs fuit ad justificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cujus Spiritus Sanctus est donum.* At porrò, quid amabò ante *Patrem*, aut *Paracletum* Divinissimum, Filio DEI potissimùm orbem perditum redimendi addicit prærogativam; si enim ex hoc capite non indignum Majestate Divina munus Incarnationis fuisse censetur, quòd se se communicare Bonitati summæ inprimìs conveniat, profectò tam Patri, quàm Filio communis Bonitas in communionem Incarnationis totam sacerrimam vocâsset Triadem, & non minùs Spiritum S. atque VERBUM hominem fore decuisset; quod si verò excelsum Divinæ potentiæ miraculum Incarnationis censuerimus Mysterium, operam hanc toti Sanctissimæ Triadi tribuamus est necesse; verùm neque *Potentia* Magnes ille fuit, qui Patrem, nec *Bonitas*, quæ Spiritum Sanctum ad Incarnationis negotium attraxit, quin potiùs, si Divinum Hilarium audimus; *Justitia* è Divinis Personis Alteram sibi vendicavit, quod ex ipso Incarnatæ Veritatis oraculo signatè deducit, in illud (Matth: 3. v. 15.) differens: *sine modò, sic enim decet nos implere omnem Justitiam. Peccaverat* (inquit S. Doctor) *homo primus suo vitio, & inobedientiæ lapsu, & proprio voluntatis impulsu, & ideo per misericordiam*

poterat quasi reus redimi, non debebat per potentiam, quasi innocens liberari, conditio ergo humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperiô erat eruenda, sed pretiô, quod ipsum pro Incarnatione VERBI non reticet Dionysius Carthusianus, quod inter potentiam Patris, & Spiritûs Sancti bonitatem sit medium: *quoniam* (inquit) *VERBUM est media in Trinitate Persona, idcirco conveniebat ei Incarnatio, & ratio Mediatoris, ut esset DEUS, & Homo.* Loquatur de hoc Gentium Doctor: *Unus enim DEus; unus & Mediator, DEI, & hominum, Homo Christus JESUS* (ad Timoth: 2. v. 5.) nervosè & de hoc Magnus S. Leo potenti sua discurrit authoritate: *in hac ineffabili Unitate Trinitatis, cujus in omnibus communia sunt opera, atque judicia, reparationem humani generis propriè Filij Persona suscepit, ut quoniam Ipse est, per quem omnia facta sunt, & sinè Ipso factum est nihil, quippe plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit: Idem naturam nostram ab æternitatis ara dejectam amissæ restitueret dignitati, & cujus erat Conditor, etiam esset Reformator, sic consilium suum dirigens in effectum, ut ad dominationem diaboli destruendam magìs uteretur Justitia rationis, quàm potestate virtutis.* Non displiceat hìc ab imis ascendere ad summa, si vitium quoddam acciperet pictorium Appellis opus; nemo id è tota Pictorum Academia revocare ad artem præter Apellem audebat, & valebat; defœdata fuit pulcherrima *Imago*, & *similitudo Dei homo*, congruum erat, ut eam repararet, & suo decori redderet, qui est *Imago DEI* (ad Colos. 1. v. 15.) & rerum omnium audit *Idea* Filius Divinissimus. Pluribus concinnè præsentem quæstionem agitat Josephus Mansi, *quam ob rem factum esse putas,* (quærit) *quod inter tres Personas Divinas Filius Dei pro homine redimendo de cœlis descenderit?* nam si ad libellam humani Judicij res ponderanda foret, potissimam fuisse causam Unigenito Incarnationis assumendi negotij arbitratur citatus Author, quod nostro loquendi modo Filius præ cæteris Divinis Personis fuerit offensus, argumentum, quô id probat, ex ipso purius sumatur fonte: *Cùm enim* (inquit) *Patri Potentia, Sapientia Filio, Spiritui verò Sancto Bonitas attribuatur: Protoparens noster in primo insultu, quem peccando fecit, offendit Filium, attributi Ejus usurpationem præsumendo, ob spem, quam habebat, futurum scilicet esse, ut serpentis suggestio tandem verificaretur dicentis:. Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Demum stabiliendo nostro proposito peropportunè concludit: *tantùm tamen abest, ut hac in Eum commissa offensa ab ordienda Redemptione nostra quicquam moraretur.* Quin insuper, Richardi Victorini suffragiô, hæc ipsa, quæ alijs solet odij esse incentiva, Dei Filio, offensa factum sit motivum nostram assumendi carnem, & redimendi hominem offendentem. Appositè & Damascenus (in 3. lib. cap. 1.) *in Mysterio Incarnationis manifesta est Sapientia, & Virtus DEI, Sapientia quidem, quia invenit difficillimi pretij solutionem quàm decentissimam: Virtus autem, quia victum fecit rursum Victorem.* Cui subdit citatus Angelicus: *Sed Virtus, & Sapientia appropriantur Filio secundùm illud* (1. *ad Cor.* 1. *v.* 24.) *Christum DEI Virtutem, & DEI Sapientiam. Ergo conveniens fuit Personam Filij incarnari.* Ad hæc trinam adhuc pro unius Personæ Filij Incarnatione Divi Aquinatis haud invitus attendo rationem, ab ipsa Unione Hypostatica, ex ejusdem fine, atque remedio peccati petitam, à Divino enim VERBO ùt Exemplari, & Idea conveniebat naturam humanam vitiatam ad perfectionem reparari, & in summa dissimilitudine, (quod solius Divinæ est Sapientiæ) similia uniri; alterúmque congruentiæ caput est in impletione prædestinationis, Eorum scilicet, qui præordinati sunt ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur nisì Filijs Ejus, secundùm illud (ad Rom. 8. v. 17.) *si Filij, & hæredes*, congruum itáque

fuit,

fuit, ut per Eum qui est Filius naturalis, homines participarent similitudinem hujus filiationis secundùm adoptionem, Apostolico Doctore erudiente Romanos (*quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui* (ad Rom. 8. v. 29.) Rationis tertiæ progressus est ex peccato primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur; peccaverat enim primus homo appetendo scientiam boni, & mali; *unde conveniens fuit, ut per VERBUM veræ Sapientiæ homo reduceretur in DEUM, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à DEO.* Angelico huic Doctori alterum in carne conjungo Angelum Mellifluum ità mellitè illud (ad Rom. 11.) *quis cognovit sensum Domini?* more suo delibantem: *Videtur* (inquit) *& illud maximè congruum, ut Is specialiter Filius fieret, qui Filius erat, nè quid esset ambiguitatis in nomine; denique ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa Mariæ, quòd Filium unum, Eundémque cum DEO Patre meruerit habere communem.* Sed huic excelsæ dignitatis gradui hominum in sortem filiorum, & hæredum DEI, atque cohæreditatem, & fraternitatem Christi Divinæ institutionis adoptione sublimiter elevatorum, reverenti mora lubet insistere, & plena consolationis dulcissima Evangelica plurimæ Virtutis pensitare verba (Joan. 1. v. 12.) *dedit Eis potestatem filios DEI fieri*, quæ præcelsa hominis sublimatio Divi Leonis attonitum reddit affectum ità exclamantem: *Deus hominem vocat filium, & homo Deum nominat Patrem: Pater noster* (Serm: 6. de Nativ:) seriem, ac Progenitores ejusdem recenset Cornelius in Oseam: *Deus est Pater, Mater voluntas consentiens, semen gratia præveniens, proles homo justus, anima charitas per Spiritum Sanctum.* Tantáque bonæ voluntatis cum Divina consensui inest fœcunditas, ut & beatissima Virgo ad efficacissimum suum annutum: *fiat mihi secundùm Verbum tuum*) Luc. 1. v. 38.) facta sit Mater Dei, & quisquis

quis Divinæ voluntati consentiens in filiationem DEI, & fraternitatem Christi exaltetur; Ipso Divino id attestante VEBBO: *quicunque fecerit voluntatem Patris mei, hic frater meus est* (Matth. 12. v. 5.) de qua prærogativa spiritualis cognationis, exellentiáque virtutis obedientiæ ità Euthymius (in Math: 12.) *ad tantum extollit honorem, ut ipsos Christi faciat esse cognatos, & fratres:* Suavissimáque oris Theandrici non solùm Collegio Apostolico, sed & universæ humani generis Ecclesiæ est auscultare verba, *ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Gallilaam* (Matth: 28. v. 10.) *Vade ad fratres meos* (Joan. 20. v. 17.) & nè Silentiò premeret Patrem utique communem, & unum, *dic eis* (ait) *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.*

QUÆSTIO XXII.

An, & quomodo ipso Incarnationis Instanti Christus promissam ab Angelo sedem David sit adeptus?

INattentâ Tomitani Vatis ligata Sententia (13. Metam)

Et genus, & Proavos, & quæ non fecimus Ipsi,
Vix ea nostra voco.

Non semper *qui genus jactat suum, aliena laudat.* (Senec: in Herc: fur:) neque continuò nobiles Avorum Ceræ critico stylo sunt configendæ, alia nobilitas est ex stirpe, alia ex virtute, quæ utramque complectitur, hæc demum clarissimo Juris prudentiæ Lumini Baldo verissima & perfectissima nobilitas est (L. Nobiliores) Injurius ergo sim purissimo virtutum Splendori, & labis nesciæ Radici Jesse, si qua Hanc Deus illustravit, quámve Illa in suum transfudit surculum Originis claritatem, Silentio dissimulem obscurare; audiatur Mediolanensis Præsulis de hac quæstio (Ambros: L. 2. de

Virgine) *Quid nobilius Dei Matre?* quem locum proſequitur reſponſo Bernardinus de Buſt: in Mariali ſuo (2 part. ſer: 1.) *quaſi dicat, nihil in rebus creatis; omnes enim præclaritates, ingenuitates, dignitates, & nobilitates, quæ poſſunt eſſe in aliquo individuo humano, poſuit DEus in Hac - - quæ omnes Principes, Duces, Reges, & Imperatores - - Nobilitate tranſcendit.* Idem reapſe loquitur D. Bernardinus Senenſis, affirmans quòd Evangeliſta) Matth: 1. à v. 1.) recenſitis generationibus ab Abraham uſque ad Chriſtum, Virginem intemeratam de quatuordecim Patriarchis, quatuordecim Regibus, totidémque Ducibus natam fuiſſe deſcribat, loquitur & de hoc Virgineorum Natalium ſplendore in ſua clara valle Bernardus (ſuper illud ſignum magnum &c. (Apoc: 12.) *quid* (inquit) *ſydereum micat in generatione Mariæ? planè quod ex Regibus orta, quod ex ſemine Abraham, quod generoſa ex ſtirpe David.* At quò hæc dicta volumus? ut nimirum, cùm Chriſtus in generatione temporali naturalis fuerit Filius Virginis ſinè Patre, non dubia foret illatio, ſortitam fuiſſe nobilitatem temporalem à Virginea Genitrice, conſentit huic citatus Senenſis (Tom. 3. cap. 1. 2. & 3.) patet (inquit) quòd Dominus JEſus Chriſtus, qui ſinè Matre fuit in cœlis, & abſque Patre in terris, totam à Virgine humanitatem acceperit, atque dignitatem cognationis, ut diceretur Filius David, - - quod etiam ultimus Dux, ultimus Rex, & ultimus Patriarcha totius populi Iſraël, non aliunde habuit, quàm à Virgine beata. Incidenter hìc, at non impertinenter, aptiſſimam ſubjectæ materiæ Doctoris Angelici ad literam connecto Sententiam: *Dicendum* (inquit in 3. p. q. 31. art. 2.) *Quòd Chriſtus ſpecialiter duorum antiquorum Patrum Filius dicitur eſſe, Abrahæ ſcilicet, & David, ut patet Matth. 1. cujus eſt multiplex ratio. Prima quidem, quia ad hos ſpecialiter de Chriſto promiſſio facta eſt. Dictum eſt enim Abrahæ (Gen. 22.) benedicentur in Semine tuo omnes Gentes terræ*

terræ

terræ, Apoſtolus de Chriſto exponit dicens (Gal. 3.) Abrahæ datæ ſunt promiſſiones, & ſemini Ejus: non dicit & ſeminibus, quaſi multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Ad David autem dictum eſt: de fructu Ventris tui ponam ſuper ſedem tuam; unde & populus Judæorum, ùt Regem honorificè ſuſcipientes dicebant (Math. 21.) Hoſanna Filio David. Secunda ratio eſt quòd Chriſtus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos; Abraham autem Sacerdos fuit; ut patet ex hoc, quod Dominus dixit ad Eum (Gen: 15.) ſume tibi vaccam triennem &c. Fuit etiam Propheta ſecundùm illud quod dicitur (Gen. 20.) Propheta eſt, & orabit pro te; David autem Rex fuit, & Propheta. Tertia ratio eſt, quia in Abraham primò incepit circumciſio: in David autem maximè manifeſtata eſt Dei electio. Secundùm illud, quod dicitur (Reg. 13) *quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, & ideo utriuſque filius Chriſtus ſpecialiſſimè dicitur, ut oſtendatur eſſe in ſalutem, & circumciſioni & electioni Gentilium.* Clamorem exinde tuum ſupprime acephala Hebræa gens: imò cave poſthac dixeris te Regem non habere præterquam Cæſarem: quandoquidem falſitatis ream te dudum egit gentilitia Majeſtatis Trinitas, quæ prona in ſtabulo Regem adoravit Judæorum, neque porrò eſt, quòd pervicacem protegere ſatagas frontem ipſiusmet increatæ Veritatis ſcutô, quæ Regnum ſuum de hoc mundo non eſſe, palàm conteſtata eſt; notat námque argutè magnus Aurelius (Tract: 115. in Joan.) Dominum non dixiſſe: *in hoc mundo*, verùm, *de hoc mundo*, qua loquendi methodo non omnem omnino temporalem poteſtatem, ſed modum duntaxat Regibus alijs communem à ſe voluit remotum: atque adeò in confeſſo eſt, DEum carne veſtitum Regni penitus expertem non fuiſſe, cùm, et Ei ſedem David appromiſerit æternus Pater, Chriſtúmque Regnaturum in domo Jacob cælicus ſpoponderit Caduceator; aſt quodnam Regni genus, quandóve illius exorſus ſit

Salo-

Salomone Major? decidere, ampliorem, quàm paginæ capiat, præbet erotemati materiem. Illud (nè longiùs à scopo deviem) extra controversiam est, Virginis Filium legitimum futurum fuisse Regni Davidici Successorem, nisì ab Herode, atque alienigenis arroganter occupatum fuisset, aliâ proinde gradiendum via est, ut præfixum quæstio terminum attingat; De Davide in reprobi Saulis solium sufficiendo sacræ testantur Paginæ, quòd Dominus sibi quæsiverit virum secundùm cor suum; verùm Regni Ejusdem exordia mentis attentior dispiciat oculus, quis enim casuum arduitatem, persecutionum acritatem, si non crudelitatem, periculorúmque immanitatem, quibus cum cruciata annorum decade recens inauguratus Rex David, colluctatus fuit, affatim expresserit, ut enim paucis stringamus omnia, ipsa securitas periculum, Regiúsque Saulis affectus mellitum fuit odium Jesseæ internecionis incentivum, atque hi ferè aculeati erant gradus, quibus David solium conscendit; simile jam aspiciamus ad Regni apicem admirabilem VERBI Incarnati progressum; duos ascendentis thronum Redemptoris designat gradus Ejusdem in terris Vicarius (Innocent 3. Serm: de Annunc:) primum *passibilitatis*, alterum *passionis* utrumque mox Regni sui trivit principio, in primo nempe descensu ad benedictum Virginis Matris uterum principalem Incarnatæ Majestatis thronum, affectuosè de hoc Eusebio Emisseno alloquente Virginem: *Initiator omnium rerum à te initiatur, & profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, & de te sumpsit.* Atque si Divinis præplacet immorari literis, dilucidè comperies, vix aliquam à Spiritu Sancto factam *Incarnationis* memoriam, ubi non illico *passionis* meminisset: unum attendisse suffecerit: Parvulum nobis datum Isaias memorat, & Divinæ teneritudini mox non vulgarem sed principalem imponit crucem: *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est*

est principatus super humerum Ejus, & vocabitur nomen Ejus admirabilis, Consiliarius, DEus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. (Isai: 9. v. 6.) mirabilis sanè Principatus, novúmque Imperij genus est, quod unó humero sustinetur; sed elucidat hoc Doctor Mellifluus (de pass. cap. 3.) *Crucem, quam Imperij nomine significavit nativitati statim adjungit, quia statim à nativitatis exordio passio crucis simul exorta est*; atque si à nativitatis exordio: dicere quid vetat, eandem passionem & Regnum, viámque Regiam sanctæ crucis ab Incarnationis primordio sua exordia sumpsisse? De Davide in Regijs Sacris annalibus legere est (1. Reg. c. 22.) cùm ad speluncæ odollam, angustias fugiens se recepisset, *convenerunt ad Eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est Eorum* Princeps (v. 2.) an jure minùs æquo fas est dicere, DEum in carne nostra, eo ipso tempore, quo Mariani in uteri claustro delitescenti primum debitis onustum, mortísque inter & gehennæ angustias constitutum genus humanum repræsentari cæpit, non vanum Regis titulum acquisivisse, cujus coronam doctissimus Mansi (Discur: 17. de Annunc.) innuit: *hodie* (inquit) *dicere possumus caput Ejus spinis perforatum; siquidem hodie passionem suam exorsus est interiorem, per pœnalitates externas, in monte Calvariæ postea demum finiendam* (plura de hoc videre est in quæst: 19.) è re quoque facit S. Thomæ de Villa nova (Conc: 1. de Annunc:) eruditæ pietatis quæstio, inducit Is non inconcinnè Virginem sacratissimam ex Angelo Regnum pollicente sciscitantem: ubi sceptra, ubi coronæ, quibus redimiendus foret Rex Ille, de quo utrique sermo erat? tandémque Angeli vices subiens respondet: *non aspicis caput diademate Regis ornatum, titulum non conspicis Regali throno pendentem? non audis multorum Regum acclamantium voces? Sceptrum non discernis patenti manu defixum? quid obsecro Virgo deest*

deest ad Regnum? neque tamen glorietur de stillula nobilitatis, quam per Regium David sanguinem in ChristumRegum Regem transfudit, quando Regia Christi dignitas torrentem nobilitatis, & honoris oceanum in Majores suos plurimo fœnore refudit: sit aliorum *gloria filiorum, Patres Eorum* (Proverb: 17. v. 6.) Gloria Patrum, & Corona Majorum & omnis decor fuit ab uno, & in uno Dei Filio Incarnato, cui meliore jure illud Tullij contra Salustium tribuitur: *Ego Majoribus meis virtute mea præluxi, ut si obscuri fuerunt, à me tamen generis nobilitatis initium sumant*, quando etiam de Majoribus infamiæ macula signatis nasci dignatus est; *nè pudeat Ecclesiam* (Mediolanensis ait Præsul Lib. 3. in Luc.) *ex peccatoribus congregari, cùm Dominus de peccatoribus nasceretur. Postremò ut beneficium Redemptionis etiam à suis Majoribus inchoaret, nè quis putaret originis maculam impedimento posse esse virtuti, nec se insolens de sui generis nobilitate jactaret, nêve parentum crimina verecundior erubesceret, cui obumbrandæ originis facultas daretur flore virtutis*, his dum discursus de mansuetissimo Regum Rege coronidem imponit, unà Ille, qui *Primogenitus omnis creaturæ* (ad Colos: 1. v. 15.) & cui Majoratum cedit Cœlum, & terra, *Regi gloriæ* reverentissimæ servitutis homagiô se substernit, diuturna meditatione Regij Vatis pensitaturus versum (Psal. 109. v. 1.) quô Davidicam coronam in gloriosam servitutem FILIO David non sinè totius Davidicæ Domus exaltatione submittit, ità psallens: *Dixit Dominus Domino meo.*

QUÆSTIO XXIII.

Quænam Orbi conceptio fuerit prodigiosior, an Joannis ex sterili, an Christi ex Virgine?

Dum

DUm nasciturí Messiæ spes adhuc in herba erat, Virginitas, & sterilitas communi damnata voto, communi proscribebantur maledictô; neque enim latissimum discrimen hanc inter & illam rudis adhucdum perspicere potuit Synagoga, cui eâdem feriebantur censurâ, & ea, quæ fructum ferre non valebant, & ea, quæ nolebant, verùm addixit tandem & huic, & illi fæcundam æstimabilitatem fæcundissimi Patris VERBUM, quando ablato utriusque probro, & virginem jussit parere, & sterilem fæcundari; Quis jam edicat, utrùm Divinorum Custodum concepta Proles sancta, & sanctissima majori affecerit stupore, an Josephum, dum Virginem vidit gravidam, an Zachariam, dum sterilem fæcundam observat? si resolutione ante rei eventum agendum fuisset, citra moram (nisì mea me fallat opinio) in sententiam unanimem ituri erant Consortes sacerrimi tunc scilicet fæcundandam Elisabeth, cum Virgo Maria pareret, ità utrumque spei fecerat paradoxum; ast postquam eventus prodigiosa fæcunditate superavit vota, quid magè obstupuerint, vix cogitare, minùs respondere ad utrumque attonito datur; & quidem si lubet à Præcursoris Dominici ordiri Patre, nescio; an quid auditu admirabilius, creditúve difficilius non insueto Divinorum mysteriorum Zachariæ, atque illud filij spe dudum abacta Angelicum prolatum oraculum: *Uxor tua Elizabeth pariet tibi filium* Luc. 1. v. 13.) tantáque propè discredens admiratio ad tam insueta vaticinia Zachariæ labiô attonita expressit verba, *unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.* (v. 18.) neque Joannearum prærogativarum infima est, ex sterili non absque prodigio esse prognatum, hoc ità aureè observante Petro Chrysologo (Serm: 4. de Joan: Bapt:) dum præmisso defectu naturæ ità concludit: *ut Divino ordine, & non partu ex hominibus Angelus nasceretur.* Exortúmque de sterilibus citatus Orator aureus (Serm: 6.) antefert hominibus, & Angelis æquiparat

parat inquiens: *sterilitas fugit, parit castitas, nascitur major hominibus, par Angelis*; Et verò tantò illustrius intervenisse miraculum ad tantæ prolis generationem censendum est, quantò majus per illam probrum auferendum fuerat, erat autem antiquitus sterilitas opprobriorum summa, hinc illæ lamentationes muliebres: *Panem nostrum comedemus, & vestimentis operiemur, tantummodo aufer opprobrium nostrum sterilitatis* (Isai 4. c. 4. v.) inferunt idipsum Jephtiadis lacrymæ, quibus duos ipsos menses, quòd improlis moreretur, Virginitatem suam deploravit (Jud. 11. v. 38.) & prope solus apud DEum aliquo censebatur in numero, qui prolium ubertate ditabatur. Quoniam ergo hoc Matris probrum in computu perfectionum multis filijs superior unus abstulit Joannes, facilè concluseris, quam portentosam Ejus oportuerit esse conceptionem? movet hæc consideratio eò usque Præsulem Mediolanensem, ut autumet sterilis Elizabeth partum cum Virgineo conceptu venire in comparationem; audiatur Ecclesiæ Doctor: *debuit* (inquit Serm: 1. de Joan.) *Præcursor Christi aliquid simile habere Nativitati Salvatoris, siquidem Dominus de Virgine gignitur, Joannes de sterili procreatur, Ille de adolescentula, Iste de jam fessa generatur. Sicut Mariam suspicimus, quòd Virgo pepererit, ità in Elizabeth miramur, quòd anicula procreaverit.* Huic paritati ut amicam sortiretur complanationem controversia, subscribere inclinaret calamus, nisi suffragiorum pluralitas præ sterili, pro virginea Maternitate sibi vendicaret consensum; ex ordine proinde Authoritatis calculentur sententiæ, & rationis pensentur momenta; Cyprianus ità mentem suam in rem præsentem aperit: intaminatum Virginis partum extitisse gratiæ cumulum, omniúmque miraculorum, quæ unquam Divina Omnipotentia edidit, aut in omnem editura est æternitatem, Augustissimum, sacratissimúmque prodigium; ejusdem Sententiæ Titus est Episcopus

pus

pus (in catena S. Thomæ) speciale Omnipotentiæ esse, quòd ipsa Virgo supra naturam manens illibata, DEum conciperet, & sanè, si rem novam, & ceu inauditam demirata est Mosaica facies, quando inter flammas integritatem Rubi non aduri conspiciebat, quis non omni admirabili admirabilius arbitretur, concipere Virginem, & in conceptione intaminatam Matris manere Virginitatem? obstupuit Aaron virgam suam subitò sinè humana cultura florescentem, & orbis non obstupescat amplius Virgam Jesse citra hominis operam benedictum Virginei uteri fructum integerrima Virginitate parientem? argumentum egregiè promovet Barradius (Lib. 8. c. 3.) super Canticum Zachariæ) *Præcursor fuit Joannes Christi in ipsa etiam conceptione, mirabilis Joannis conceptio mirabiliorem Christi conceptionem præcessit.* Assertum ratione munit: quòd Elizabeth quidem sterilis, atque grandæva supra naturæ morem conceperit prolem, at Virgo integerrima servato Virginitatis flore ipsa obstupescente natura sit fæcundata. Partheniæ hujus fæcunditatis prodigium tanti æstimavit Mellifluus, ut solo dignum DEO censuerit, *talis* (inquit Serm: 2. de Advent) *partus congruebat Virgini, ut non pareret nisi DEum, & talis Nativitas decebat DEum, ut non nisi de Virgine nasceretur.* Atque ità gaudia Matris habuit cum Virginitatis honore; plura si petis testimonia, Ipsa pro rei veritate summa stat Authoritas Dei scilicet, & Virginis Unigeniti, qui nihil habuit antiquius, quàm omne id summè pendere, quod à Virgine fuerat consecutus, ideo enim VERBI Interpres Angelus mox in enarrandorum Christi magnalium primordio adjicit: *concipies in utero, & paries* (Luc. 1. v. 31.) quòd quàm maximè Virginis esse filius adamaret; neque enim peculiari vacat mysterio, quod symbolum Deo dictante concinnatum non una duntaxat vice VERBI Humanitatem exprimat, sed iteratò hanc ingeminet, ità námque habet: Et Incarnatus est ex

Mariæ

Maria Virgine, & homo factus est. Quid amabò hæc sibi vult iteratio? Si enim clarè dicitur *Homo factus*, redundare videtur præmissa illa vox *Incarnatus*; dubio huic occurrit erudita Sylveiræ penna (de Annunc. Lib. c. 5. q. 30.) in hæc verba: *tanti æstimabat carnem sibi à Virgine communicatam, ut hanc expressè & distinctè divulgari, ac publicari affectaret maximè.* Quanquam partem hominis nobiliorem animam scilicet, quam Pater creaverat, sufficienter per *hominem* denotaret; quin imò ità de eo quod à Virginea habebat Matre gloriabatur, ut illud non uno tantùm modo, sed multifariam vellet prædicari, semel quidem clarè, atque disertè *Incarnatus est ex Maria Virgine*, deinde non admodum obscurè *Homo factus est*, cùm id quod à Patre acceperat, semel duntaxat implicitè recenseretur. Annotavit idipsum Author citatus (Lib. 2. c. 1. q. 10.) causam assignans, cur olim DEus in solio excelso, atque in templo auro mundissimo investito comparuerit; nascens verò reclinari voluerit in humili stabulo? quia nempe adeò sibi complacuit, atque æstimavit in Virgineo Mariæ habitare utero, ut inde prodeunti cuncta creata reliqua ornamenta aurea, multi pretij, ligna, ipsáque solia Regia velut exile fœnum, humiles paleæ, abjectúmque stabulum viluerint, proinde licèt prior Joannis conceptio verè fuerit admirabilis, in qua non humana, sed Divina operatrix conjicitur virtus, altera tamen Christi longè admirabilior pronuntianda est, cùm Divo hoc contestante Chrysostomo (hom. 1. in cap. 1. Luc.) *hæc Elizabeth sterilitas fuerit prole donata ideo, ut nè de conceptu, & partu Virginis nimiopere miraremur.* Postremò quanquam illa ex sterili generatio extra naturæ fuerit ordinem; attamen non ità nova fuit, & specialis, uníque Joanni propria, ut non eandem præverterint alij: ùt Isaac, Samson, Samuel, at verò generatio ex Virgine novissima, & specialissima, támque insolita, & sublimis est, ut hæc sola è citato Bernardi suffra-

suffragio solum Deum condeceret; de qua colophonis in vicem ità demirans exclamat Epiphanius (Serm. de Virgine (*O Virgo sacratissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! stupendum enim est miraculum in cælis: Mulier amicta sole, stupendum miraculum in Cælis, Mulier gestans lucem in ulnis; stupendum miraculum in Cælis, Mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est Pater*; sed omnium maximè in terra, *& in Cælis stupendum miraculum: Thalamus Virginis habens Filium DEI.*

QUÆSTIO XXIIII.

An ante, an post Conceptionem VERBI manifestior Orbi facta sit Mariæ Virginitas?

Quod Autumnus lilio, & Augustæ solis in Virgine Auroræ nebula, hoc Virginitati puerperium est, defloruit enim Virginitas, quæ fructu gravida est, neque jam dubitatur Virgineum occidisse jubar, quod umbras thalami est ingressum; tanta nempe virtutis Angelicæ, atque tam singularis est integritas, ut communicatione facilè violetur; In testimonium Sententiæ Ipsiusmet vigilem Sanctissimæ Virginis Innocentem sollicitudinem adverto, quando etiam Angelo, cœlestíque Spiritui de Maternitate colloquentem attendo, ùt primùm enim à Cœlico audit Interprete, *Benedicta tu in mulieribus* (Luc. 1. v. 28.) turbatur; Evangelico subnectente Historico: *quæ cùm audisset, turbata est* in Sermone Ejus (v. 29.) *fortè propterea* (Mellifluum loquor) *cogitabat qualis esset ista salutatio, quòd benedictam se audijsset in Mulieribus, quæ nimirum benedici in Virginibus semper optabat.* Non abs re proinde hanc Virginibus cunctis in castimoniæ proponit speculum D. Ambrosius (Lib. 2.) *fit vobis* (ait) *tanquam in Imagine descripta Virginitas, vitáque Beata Mariæ,* &

& qua velut in speculo refulget species Castitatis, & forma Virtutis; hinc sumatis, licet, exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari Magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere debeatis, ostendunt. Vitrea ergo, Barradij est admonitio (tom. 1. lib. 6. c. 6) abjiciant specula, quibus nimia de vitrea carnis imagine cura est, speculum sibi ob oculos ponant æternum, quod æternæ inservit mentis venustati. Virginem sacratissimam ùt speculum splendidissimum intueantur, ad illius conspectum suos comant mores, animum ornent, vitam, actionésque omnes componant. *Habetis,* monet rursum S. Ildephonsus (de Assump. Mar. Serm. 3.) *egregij Magisterij formam, habetis exemplar in ea perfectissimæ Virginitatis, ecce via, qua pergere debeatis. Salve ergo* (erumpit in jubilantes voces Cyrillus Alexand:) *pretiosus totius Orbis thesaurus, lampas inextinguibilis, corona Virginitatis.* Et sanè corona fuit Virginitatis, quando eam ornavit Virgo ante partum, & illibatum suum corpus Sponso Virginum etiam per votum consecravit (prout docet S. Thomas 3. p. q. 28. a. 4.) & condecoravit Virgo in partu, & tandem Virginitatem virgineæ Maternitatis honore Virgo post partum coronavit; Virginitatem Marianam ante partum Divina probat Authoritas: *Ecce Virgo concipiet* (Isai: 7. v. 14.) & contrarium pertinet ad hæresim Hebionitarum, & Cherinti, Christum purum hominem arbitrantium, & de utroque sexu Eum natum putantium. Pro gloriosa hac Virginitate Angelicæ mentis Doctor, quadruplicem gratiosam habet occurrentiam; *quòd enim Christus* (argumentatur in 3. p. q. 28. a. 1. in ⊙.) *sit conceptus ex Virgine, conveniens est propter quatuor: Primò propter mittentis Patris dignitatem conservandam; cùm enim Christus sit verus, & naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quòd alium Patrem haberet, quàm DEum, nè dignitas Dei Patris transferretur ad alium. Secundò hoc fuit conveniens proprietati Ipsius*

Ipsius Filij, qui mittitur, qui quidem est VERBUM Dei: VERBUM autem absque omni corruptione cordis concipitur; quin imò corruptio, perfecti VERBI conceptionem non patitur; quia ergo caro sic fuit à VERBO Dei assumpta, ut esset caro VERBI Dei, conveniens fuit, quòd etiam ipsa sinè corruptione Matris conciperetur. Tertiò hoc fuit conveniens dignitati humanitatis Christi, in qua locum peccatum habere non debuit, per quam peccatum mundi tollebatur. Quartò propter Ipsum finem Incarnationis Christi: quæ ad hoc fuit, ut homines renascerentur in filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; Sed ex DEO, id est: ex ipsa Dei virtute, cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi; Unde August: dicit (Lib. de Virg. c. 6) oportebat Caput nostrum insigni miraculo secundùm carnem nasci de Virgine, ut significaret membra sua de Virgine Ecclesia secundùm Spiritum nascitura. Pro Virginitate in partu patens itèm est argumentum, non enim solùm Propheta inquit: *Virgo concipiet*, sed subjungit: *& pariet Filium. Et in quodam sermone Ephesini Concilij dicitur* ùt refert S. Thomas (3. p. q. 28. a. 2. in sed contra) *Natura post partum nescit ulteriùs Virginem, gratia verò, & parientem ostendit, & Matrem fecit, & Virginitati non nocuit, fuit ergo Mater Christi Virgo in partu.* Unde Augustinus (Serm. 6. de Nativ. Dom.) decidit: *fas non erat ut per Ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta.* Subjungítque citatus Angelicus (in ⊙.) *fuit conveniens, nè Matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos.* Pro Virginitatis perpetuitate à partu Divinum ab Ezechiele (cap. 44. v. 1.) propositum audiatur verbum. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam.* Latens sub hac porta Mysterium, clavi scientiæ suæ Magnus aperiat Aurelius, ità hoc [Serm. 14. de nativ. Dom.] exponens: *quid est porta in domo Domini clausa; nisì quòd Maria semper*

erit intacta? & quid est, quod homo non transibit per eam; nisì quod Joseph non cognoscet eam? & quid est, Dominus solus intrat, & egredietur per eam; nisì quòd Spiritus Sanctus imprægnavit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam? & quid est, clausa erit in æternum; nisì quòd Maria Virgo est ante partum, & Virgo in partu, & Virgo post partum? Detestabilis proinde Helvidij error est, dicere præsumentis, Matrem Christi post partum alios filios genuisse; hoc enim *primò* derogat Christi perfectioni, qui sicut secundùm Divinam naturam Unigenitus est Patris tanquam perfectus per omnia Filius, ità decuit, ut esset Unigenitus Matris tanquam perfectissimum germen Ejus. *Secundò* hic error injuriam facit Spiritui Sancto, cujus sacrarium fuit uterus Virginalis, in quo carnem Christi formavit, unde non decebat, ut de cætero violaretur. *Tertiò* derogat dignitati, & Sanctitati Matris Dei, quæ ingratissima videretur; si tanto Filio contenta non esset, & si Virginitatem, quæ in Ea miraculosè conservata fuerat, sponte perdere vellet. *Quartò* etiam ipsi Joseph esset ad maximam præsumptionem imputandum; si Eam, quam revelante Angelo de Spiritu Sancto DEum concepisse cognoverat, Virginem non sineret; neque illa quæ Angelicus Doctor (3. p. q. 28. a. 3.) Adversantium allegat argumenta, Sententiam Virgineam reddunt ambiguam, Joannis videlicet [cap. 2. v. 12.] dicitur: *post hoc descendit Capharnaum Ipse* [scilicet Christus] *& Mater Ejus, & Fratres Ejus.* Et rursum [Matth. 27 v. 55. & 56.] legitur *erant autem ibi* [nempe juxta crucem] *mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant JEsum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph Mater &c.* qui sacri textus, & filios alios Mariæ, & Christo plures fratres addicunt; ità enim S. Doctor citatus [ad 5. & 6.] reponit; *Dicendum, quòd quidam, sicut Hieronymus dicit* [super Matth: c. 12.] *fratres Domini de alia uxore,*

re, Joseph filios suspicantur; nos autem fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris Mariæ Materteræ Domini filios intelligimus, quatuor enim modis in scriptura fratres dicuntur, scilicet Naturà, Gente, Cognatione, & affectu. Alterum verò ità decidit: *dicendum, quòd Maria, quæ dicitur Jacobi, & Joseph Mater, non intelligitur esse Mater Domini, quæ in Evangelio non consuevit nominari, nisì cum cognominatione hujus dignitatis, quòd sit Mater JEsu, hæc autem Maria esse intelligitur Uxor Alphæi, cujus filius est Jacobus Minor, qui dictus est frater Domini.* Neque ex hoc, quòd Christus Virgineæ Matris dicatur *Primogenitus*, ulla concluditur filiorum pluralitas, alioquin si non est *Primogenitus*, nisì quem sequuntur fratres, tamdiu secundùm legem *primogenita* non debentur, quamdiu, & alia non fuerint procreata, quod patet esse falsum. Audito Doctore Angelico, & Melliflui de hoc audiatur sententia [homil. super Miss:] *necessariò igitur desponsata est Maria Joseph, quando, per hoc, & à canibus sanctum absconditur & à Sponso Virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ providetur. Quid sapientius? quid dignius Divina providentia? Uno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matris.* Virgineæ Maternitatis ità celebratis laudibus, Ipsiusmet Incarnati Dei Filii oraculum attonitam reddit pennam, quasi dignitatem Matris deprimeret, quam Mulier Evangelica, extollens vocem, supra astra elevavit; ità enim historicam Veritatem refert Evangelista [Luc. 11. v 27.] de Mulieribus una Virtutem Christi demirata, gratulante labio festivè *tanti Filij* acclamavit Matri; nam *extollens vocem quadam Mulier de turba dixit Illi, Beatus venter, qui te portavit*; at quid Magister cœlestis? dissimulata Matris dignitate, atque beatitate, à Deipara divertit discursum, & *quin imò* [ait] *beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,*

hoc est dicere [inquit M. Aurelius Tract: 10. in Joan:] *& Mater mea inde felix est, quia Dei VERBUM custodit; non quia in illa VERBUM caro factum est; sed quia custodit Ipsum VERBUM Dei, per quod facta est.* Et [Lib. de Sanct: Virg: cap. 3.] *Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi, itèm materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisì feliciùs Christum corde, quàm carne gestâsset.* Gemino ergo titulo, Virgo Sanctissima beata fuit, & Virginitate purissima, & obedientiâ promptissima, priusquam Numinis Incarnati Puerpera intelligeretur; verùm ùt Mater Domini renunciata est, tantum Virgineæ felicitati derogatum videtur, quantum Excellentiæ dignitati accessit. Si etenim Eam auspicatiorem Increata censuit Veritas, dum VERBUM Divinum prompta aure, & animo suscepit ad exequendum, atque dum VERBO Dei gignendo assensa est, feliciorem Eam quoque fuisse declaraverit in obedientia Virginem, quàm in Excellentia maternitatis Parentem; hæc propè minùs rectè sanctissimi Præsulis Sententiam meditantes, imperitè in Maternitatis Marianæ depretiationem ogganniunt; verùm acutioris judicij audiatur Paris Barradius, qui pientissimum Antistitem vindicat à calumnia, Virginem verò sacratissimam eliberat à probro: duobus [inquit Ille] modis spectari potest titulus Matris Dei: aut ipse per se solus absque illa gratia, quam postulat, aut cum gratia, quam flagitat. Si priori spectetur modo, vera sunt Augustini verba: Si posteriori consideretur, quo pacto à nobis consideratur, ùt principium est gratiæ, & gloriæ, quam exigit, haud dubiè eximiam habet dignitatem; ità nominatus Eximius pro Augustino; sed multè clarissimè pro Maria Mellifluus [Serm. 1. de Circumcis:] *Deus* [inquit] *nascitur ex muliere, sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, ut non decedat flos Virginitatis*, & quomodo careret flore, quæ tulit Nazarenum benedictum fructum ventris sui; *fuit* [inquit Zeno

Serm.

Serm. de continen:] *Virgo post connubium, Virgo post conceptum, Virgo post filium, denique si aliquid melius esset Virginitate, Dei filius hoc magìs potuerat suæ Matri præstare, cui præstiterat, ut Divinæ maternitatis polleret honore*: Atque ità Virginum Sponsus Virginitatis fit fructus, decus, & munus, *à quo sancta Virginitas fœcundatur, ut perseveret intacta, à quo decoratur, ut permaneat pulchra, à quo coronatur, ut regnet perenniter gloriosa* [verba sunt S. Paschasij in Psal. 44.] plurimùm nempe abest, ut speculum solis patente gremio recipiens radios, obscuretur, quod etiam illustriori accenpiens radios, obscuretur, quod etiam illustriori accensum nitore solarem æmulans lucem, clariùs effulgescit; minimè proinde purissimum Mariæ corpus subiens *Puritatis* scaturigo, & Amator Deus obscuraverit; dum etiam Illi, ut lucem conciperet inaccessibilem, Spiritus Sanctus obumbraret; aurea claritate hoc promovet S. Petrus Chrysologus [Serm. 142.] Qui [inquit de Virginitate juncta Maternitati] *ingreditur, & egreditur, & introitûs sui, & exitûs nulla relinquit vestigia, Divinus habitator est*: Paucisque interjectis prosequitur Marianam Sententiam: *in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, & solidata Virginitas*; pro luce ab umbris libeat hìc scrutari umbras Virgineas Novarini [Num. 113.] *non Virginitatem amisit* [inquit ille] *concipiens Virgo; nec ex quo Mater facta, pudorem imminuit, sed nobilior Virgo est, quia Mater*, auget & Virgineam claritatem Fulgentius: *crevit enim* [ait] *ejus partu integritas corporis, & Virginitas ampliata est potiùs, quàm fugata. Vitam* [alloquitur Virginem Damascenus Orat. 1. de Nativ: Virg:) *habebis naturà præstantiorem, non tibi soli*, quod Virgo. *non enim tui causà progenita es*, sed omnium saluti, quòd Mater, & Virgo. *Tam mirabiliter* ergo (Sententia est Ildephonsi de S. Virg. Mar. cap. 11.) *Hæc eadem sit Mater, quæ est Virgo, Ipsa Virgo, quæ est Mater, nunquam Mater, nisì quando & Virgo, & postquam Ma-*

I 4 ter.

ter, nobilior est Virgo. Ità videlicet gloriosa fuerit ante Incarnationem Numinis Mariana puritas; quia hominem non concepit; at à conceptione cœlo, terræque magè conspicua facta est Mariæ Virginitas, quæ concepit de Spiritu Sancto, & Ipsum peperit Deum; nam ex mente D. Bonaventuræ (in speculo cap. 8.) *Virgo Mater est, qua majorem facere DEus non potest*, & post partum Mater Virgo est, qua puriorem reperire non datur. Poterat Mater esse, quin DEum pareret, at à puerperio Virgo esse non potuit, nisì Mater evaderet Dei, *talis* namque *congruebat Virgini partus, ut non pareret nisì DEum* [S. Bern: Serm. 2. super Missus]

QUÆSTIO XXV.

Cur VERBUM Incarnatum tam pauca in præconium Virgineæ Suæ Matris in sacris Paginis referatur prolocutum fuisse?

Quæstio hæc suo numero Mysterio Incarnationis, quod Universali Ecclesiæ memoria vigesimâ quintâ Martii celeberrimum, devotissima est, neque tamen Archangelicæ Annuntiationis de VERBO Incarnato inquiret solemnia; hæc enim in Superioribus quæstionibus inventa sunt; Sed tota in Virgineæ Matris dignitatis inquisitione occupabitur, neque extra statum quæstionis abibit Quæstio, quando VERBUM Incarnatum DEI Filius indivisibiliter simul Filius est Virginis, & Eadem, & sinè Matre Pater, & Mater sinè Patre gaudet Prole, quod ipsum, dum vel insinuo, Summam Beatissimæ Mariæ dignitatis præcellentiam promulgo, atque nè vulgari penna Marianam sinisterior oculus censeat dignitatem, proximè VERBO Incarnato esse subscriptam, Magni Theologi, unà & Eximii Theophili, & Mariophili [Franciscum Suarez intelligo] legatur digna sublimi reflexione sententia [ità Authoris verbis in præ-

præfatione commentarii in 3. part. D. Thom. à Quæst: 27. ad 59. relata] *neque existimandum est præsentis Disputationis materiam, ex ea præsertim parte, qua ad Beatissimam Virginem spectat, esse ab instituto scholastico alienam - Ego enim post Ipsius DEI, ac Christi cognitionem nullam, aut utiliorem, aut Viro Theologo digniorem esse existimo, neque intelligo, cur de gratia Angelorum, déque Illorum meritis, ac statu viæ, ac denique de Eorum gloria, cæterísque scientiæ, ac gratiæ donis, & Ministeriis, seu officiis tam accuratè Theologi disputent, de Angelorum verò Regina, Ejúsque dignitate, gratia, scientia, meritis, ac singulari felicitate longè majore diligentia disserendum non sit; cùm hæc doctrina, & per se dignior, ac jucundior, & ad pietatem magìs sit accommodata, & (ut Aristot: dixit) meliùs sit de rebus altioribus, vel pauca conjectare, quàm inferiores certitudine etiam mathematica cognoscere*; atque nè affectûs abundantia censeatur exaggerâsse dignitatem, Marianarum prærogativarum excelsitatem unanimis SS. PP. firmat Authoritas; de profusissimis in Deiparæ præconia decumanis voluminibus, amplissimísque Marianis Bibliothecis paucula delibâsse, & indicâsse devotissimæ huic pagellæ suffecerit. Neque enim inerudita lingua in Marianis prædicandis laudibus audet esse diserta, quando Summum Ingenium Augustini hìc se humiliat: *Quid dicam* [Magnum loquor Aurelium Serm. 35. de Sanctis, & serm. 10. & 11. de Nativ.] *pauper ingenio, cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si Cœlum te vocem, altior es; Si Matrem Gentium dicam; præcedis; si formam DEI appellem, digna existis; si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.* *Si quis* (inquit Gregorius Nazianzenus Orat. 51.) *S. Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est.* *Taceat, & contremiscat* (mens est S. Petri Damiani Serm. de Nativ. Mariæ) *omnis creatura, & quis audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.*

 Dama-

Damascenus [Orat. 2. de assumpt.] Mariam vocat: *Gratiæ Abyssum.* Epiphanio [Orat. de Laudibus Virginis] *Gratia sanctæ Virginis est immensa,* & infrà dicit: *Mare spirituale habeas gemmam cœlestem Christum.* Andreæ Creten (Orat. de dormitione Virginis) est *sanctissimus thesaurus*; talem enim ac tantum ait esse statum gloriæ Virginis, ut, *quia nec discerni possit, honoretur silentio*, & infrà; *quæ habes cum aliis non comparabilem appellationem, quæ excepto DEO solo, es omnibus altior.* Et tandem concludit: *O sancta, & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure! Quantus sit DEUS* (sententia est Chrysologi serm. 140) *satis ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur, pavet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & una puella hæc DEUM in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, Ipsius DEI cum carne commercium, pro Ipsa domûs exigat pensione.* Ex hac Matris DEI dignitate (ait Suarez hìc Disp. 1. Sect. 2.) colligunt PP. omnes, beatam Virginem non solùm excellentem gratiam accepisse; sed etiam omnes gratias, & virtutes, & omnia dona, & privilegia gratiæ inter alios sanctos divisa, & distributa, in una Virgine fuisse simul congregata. Unde Bernardus (Epist. 174.) *quod vel paucis mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum*, & de vetustioribus quidam Scriptor, qui propter modestiam *Idiota* nomen sibi imposuit (Lib. de contempl. B. Mariæ c. 2.) omnia spiritualia charismata perfectissima in beata Virgine fuisse, decernit; hinc Seraphicus purpuratus Doctor (Bonaventura in Specul. Mari: c. 5. 6. & 7.) ad hoc roborandum, accommodat illud (Eccles. 1. v. 7.) *omnia, flumina intrant in mare, & mare non redundat*, quia omnes hujusmodi gratiæ Mariæ capacitatem, Matrísque dignitatem non excedunt: sicut (inquit) *In mari aquarum, itá in Maria sunt congregationes gratiarum*, unáque Sophronii (serm. de Assumpt. qui inter opera S. Hieronymi habetur) adducit sententiam: *cæteris per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo*; quo & sanctus Bernardinus (serm. 15. de festivitate Virginis) verba sapientis applicat: *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (Prov. 31 v. 29.) At amabò, quid Mysteriosum VERBI Incarnati sibi vult silentium, dum omnis lingua laudes dicit Deiparæ, Divinus Filius de sua tacet Matre, atque dum non dedignatur Christus Dominus fidem Centurionis, Magdalenæ charitatem, & Joannis Præcursoris sui deprædicare laudes, cur laudes Virgineæ suæ Matris reticet, quid sibi vult; dum frequens in testamento veteri Beatæ Virginis Prophetica jam aperta, jam figurata fit mentio; nam ùt Bernardus ait (in sermone *signum Magnum*) *longè antè Patribus est cœlitùs repromissa, Mysticis præfigurata miraculis, oraculis annuntiata Propheticis*, & (Epist. 174.) dicit, *Patriarchis, & Prophetis fuisse præcognitam*, & (hom. 2. in Missus est) ait: *à Patribus esse præfiguratam, & à Prophetis promissam.* Et Ildephonsus (serm. 2. de Assumpt.) *à Prophetis esse prædictam, & Philosophis sanctis præfatam*, & August. (Lib. de Assumpt. in initio) *sola* (inquit) *meruit DEUM, & hominem paritura suscipere, facta thronus DEI, & aula Regis æterni secundùm quod nos docuisti per sanctos tuos Patriarchas, Prophetas* &c. *figuris, & sermonibus.* Propter quod Hieronymus (in Mich: 6.) Illam vocat *Vaticinium Prophetarum.* Andreas Cretensis (serm. de Assumpt.) *Summam Divinorum miraculorum* appellat. Quin imò addere possumus (mens est Suarii in præfatione sui commentarii citati) sicut Paulus de Christo dicit in capite libri de Illo esse scriptum: itá de Beata Virgine in sacræ Scripturæ initio scriptum esse: *inimicitias ponam inter te, & Mulierem, Ipsa conteret caput tuum*; His enim

nim verbis à DEO ipſo Mariam Virginem prædictam eſſe, communis antiquorum PP. ſententia eſt. Totum præterea Canticorum Librum non ſolùm per accommodationem, ſed etiam in ſenſu aliquo à Spiritu Sancto intento Virginem ſanctiſſimam præcinere, omnes ferè Patres, qui hunc interpretantur, intelligunt, præſertim Bernardus, & Rupertus, & Apponius in fine Canticorum, *infelicem eſſe dicit, qui hoc non credit*, & in Scriptura veteri Virginis proprietates, & perfectiones in variis perſonis, & rebus præfiguratas eſſe notiùs eſt, quàm ut diſtinctiùs declaretur. Quid inquam ſibi vult, quod novum teſtamentum ceu veteri tenacius, aliàs in commendatione gratiarum diſertiſſimum, tam pauca de Virgine deſcribat? quin imò corrigo lippientem oculum, præcipitem revoco admirationem, ſuper omne labium in Mariæ præconia Divinum VERBUM eſt vocale, diſertiſſiméque legis gratiæ volumen in laudes Virgines ſe explicat, & in hoc ipſo Divinæ mentis elucet ingenium: in compendio ſtringere omne laudabile, & paucis univerſa ſuperare præconia, dum ſuper omne elogium eſt, unô VERBO, quod *DEUS* eſt commendari; non inficior Excellentiam encomii Theandrico benedici, & laudari labiô; at totum genus tranſcendit elogii, quando Ipſum Divinum VERBUM non jam dictum, ſed in vivam Mariæ factum eſt laudem, atque ſi demum ex Pauli Suffragio (2. ad Cor. 10. v. 18.) *ille probatus eſt, quem DEUS commendat*, probatiſſimæ perfectionis eſſe Virginem omnis ſanior concludat ratio, quando extra Mariam nullus alius ſic Divino VERBO, non voce, ſed opere fuit commendatus, quod non in commendationem, Virginem *DEUS dixit*, ſed Ipſum *VERBUM* pro Maria, in, & de Illa *Caro factum eſt*, atque ità ubi res ipſæ, & opera, quibus Chriſtus Matrem honoravit, clamabant, neceſſaria non erant verba. In aliorum laudem Chriſtus *Magna dixit*, in Mariæ præconium *Magna fecit*, & Ipſum VERBUM Virgineus

gineus factus eſt Panegyricus; incomparabile reale hoc elogium Ipſa in Evchariſtico ſuo plenè gratioſis decantat labiis: *fecit* (non dixit) *mihi magna qui potens eſt* [Luc. 1. v. 49.] & magnifica hæc ſibi non dicta, ſed facta Virgo prudentiſſima attendens, & ipſa Divinas laudes non tam benedicere, quàm magnifacere inſtituit, neque labiô encomiaſticô, ùt Pſaltes Regius benedicens intonat: *benedic anima mea Domino* (Pſal. 102. v. 1.) verùm altiori toto ſublimiſſimi ſpiritûs, & ſupernis gratiis ſuper omnes elevata *magnificans* pſallit: *Magnificat anima mea Dominum* (Luc. 1 v. 46.) neque ullus Mariæ laudum tenax novum cenſuerit teſtamentum, quando fuſiori Soliditate in Evangelii tabellis paucis complexum eſt plurima, quàm minus ſolidè profuſi codices plurimis pauca complectentes, magnificentiúsque Mariæ elogium Evangelicus concinnavit Præco, quando in paucitate verborum conſignavit plurima, & ſumma ſuper omnes Panegyricos, Librum Generationis JESU Chriſti aperiens, edixit: *Jacob autem genuit Joſeph, Virum Mariæ, de qua natus eſt IESUS, qui vocatur Chriſtus.* (Matth. 1. v. 16.) & dum Evangeliſtarum, & Apoſtolorum intentio in Evangeliis, & Epiſtolis fusè dirigitur ad Chriſtum, nunquam non Excellentiam Matris inſimul extollunt, tantúmque hujus Nomen Matris eſt, & tanta Excellentia, ut omnes exhauriat elogiorum fontes; Magnum hoc Nomen coram DEO, Angelis, & hominibus ſua erga DEUM ſuum humilitate promerita eſt, Ipſa Virgine ſanctiſſima hanc humilitatem ſuæ Magnificentiæ conjungente, & concinente: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens eſt* (Luc. 1. v 48. & 49.] *ut Illi*] inquit Suarez hìc Diſp. 22. Sect. 2.) *non incommodè applicare poſſimus verba Apoſtoli ad Philip. 2. humiliavit ſemetipſam, propter quod & DEUS exaltavit Illam, & dedit Illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ſcilicet Nomen*

Nomen MATRIS DEI, *ut in hoc nomine omne genu flectatur congruenti, & accommodata adoratione.* ità citatus Eximius. Scripsit & Evangelicus Historicus Mariæ per annos duo deviginti durans elogium in perbrevi illa sententia: *erat* (nempe JESUS) *subditus Illis* scilicet Mariæ, & Joseph (Luc. 2. v. 5.) præterea tamen, quæ in Scripturis Canonicis continentur, sunt alia multa de beatissima Virgine per traditionem, quæ ab ipsis Apostolis manavit, & per manus PP. ad nos usque pervenit communi sensu Ecclesiæ, & definitione recepta, ut constat ex Dionysio (cap. 3. de Div. Nomin. & Epist. 4. ad Cajum. Ignatio Epist: 1. & 2. ad Joan: &c.) illud verò observatione dignissimum ex quatuor videlicet primis Conciliis generalibus, quæ Gregorius ùt quatuor Evangelia veneratur: Primum *Nicœnum* honorem Filii, & consequenter honorem etiam Patris contra Arrium defendisse. Secundum scilicet *Constantinopolitanum* primum Divinitatem Spiritûs sancti statuisse contra Macedonium. Tertium verò nempe *Ephesinum* ad tuendam Matris DEI dignitatem contra Nestorium esse congregatum, in quo tam multa dicta sunt de laudibus Virginis, ut vix aliquid addi posse videatur; quæ dein in quarto Concilio *Calcedonensi*, & in 5. & in 6. Synodo, & in cæteris usque ad Tridentinum confirmata sunt, & ampliùs explicata; Non tamen sinè singulari Spiritûs sancti consilio factum est, ut nonnulla Virginis Mysteria, & privilegia neque scripta sint, neque certa traditione recepta, ut occasio daretur Fidelibus ampliùs meditandi, & recogitandi hæc Mystetia, loquendíque, ac scribendi de Virgine, prout hæc scitè observat Suarez in præfat: citati commentarii; Verùm penitiùs, non curiosè, sed reverenti vultu nervosè attendamus illa Magna, quæ fecit Mariæ Dominus; si enim DEUS specialia fecit illis, quibus singulare munus ad se pertinens imposuit, ùt Joanni, qui erat Præcursor Domini (*erit enim magnus coram Domino* (Luc. 1. v. 14.) *& Ipse præcedet ante Illum* (v. 17.) & Apostoli propter similem rationem abundantiam gratiæ obtinuerunt (*per Ipsum accepimus gratiam, & Apostolatum*) ad Rom. 1. v 5.) quanta non fecerit Illi quæ ratione dignitatis maternæ jus quoddam ad bona filii nacta est; & ut à magnificentia Mariana ordiamur *primò*, Ante omnem creaturam puram *prædestinata fuit*, & Mater à Filio etiam in electione Divina non fuit disjuncta; *Tu* alloquitur Deiparam Bernardinus Senensis serm. 51. de beat. Virg. c. 4.) *ante omnem creaturam in mente DEI prædestinata fuisti*; unde Ecclesia Virgini etiam accommodat testimonium illud aliàs Divinæ Incarnatæ Sapientiæ attributum: *Dominus possedit me in initio viarum suarum* (Prov. 8. v. 22.) & illud: *ab initio, & ante sæcula creata sum* (Eccl. 7. v. 14.) quod ipsum & insinuat Andreas Cretensis (in serm. de Assumpt. dicens: de beatissima Virgine) *hæc est declaratio profundorum Divinæ incomprehensibilitatis, hic est Scopus, qui excogitatus est ante sæcula. Secundò.* Immaculatè concepta fuit, quam enim ante originariam maculam elegit DEI Filius *in Matrem*, jam tunc à debito proximo fuit eliberata, & in primo animationis instanti ab Immaculato Filio, Mater Immaculata in plenitudine gratiarum fuit honorata. *Tertiò.* Data est Ei gratia in prima sanctificatione intensior, quàm toti hominum, & Angelorũ Universitati, & vi hujus gratiæ sic confirmata fuit in bono, ut careret omni propensione in malum, neque vel levissimè DEUM offenderet: audiatur de hoc pro sua authoritate Magnus Hipponensis, & Universæ Ecclesiæ Doctor (Lib. de natur. & Grat: cap. 36. à Doct. Angel. q. 27. a. 4. in sed contra citatus) *de sancta Virgine Maria propter honorem Christi nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo quæstionem, indè enim scimus, quòd Ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quòd concipere, ac parere meruit Eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Quartò.*

tò; Beatissima Virgo per omnes, ac singulos actus humanos, quos in mortali vita post primam sanctificationem exercuit, augmentum charitatis, gratiæ, & gloriæ meruit. *Quintò*. In prima sanctificatione omnes habitus virtutum, & donorum obtinuit, unde Athanasius (serm. de Sanctissima Deipara) ad Virginem applicans illud (Psal. 45. v. 5.) *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* dicit: descendisse in Eam Spiritum Sanctum cùm omnibus suis virtutibus essentialibus; Mellifluus verò (serm. de assumpt.) ad eandem Virginis Sanctificationem accommodat illud (Prov. 9.) *Sapientia ædificavit sibi domum, exscidit columnas septem*, quas dicit esse septem Spiritûs sancti dona. *Sextò*. Fide certum tenet Ecclesia beatissimam Virginem nunquam amisisse gratiam, quam in prima sanctificatione accepit, adeoque in illa fuit confirmata, & infallibile donum perseverantiæ suscepit, & oggannienti hæresi sacrilegas fauces obstruit Mediolanensis Infulatus Mariophilus: *claudat ora sua perfidia* (inquit Ambrosius Epist: 79.) *nec Matrem Domini aliquô audeat temerare conviciô*. *Septimò*. Beatissima Virgo habuit actualem usum rationis in primo instanti conceptionis, & sanctificationis suæ, ità expressè Bernardinus Senensis serm. 51. de Beatiss: Virg. cap. 2. a. 1.) & Suarez (hìc Disp. 4. Sec. 7.) probatur ex principio communi pro omnibus prærogativis Marianis: *privilegium gratiæ alicui puro homini concessum, non est verisimile beatissimæ Virgini fuisse negatum*; uti autem ratione, tempore suæ sanctificationis datum est Joanni Baptistæ, ùt patet ex illo (Luc. 1. v. 41.) *exultavit infans præ gaudio in utero meo*, exultatio autem, & gaudium propriè importat actum vitæ, qui cognitionem supponit, neque ad metaphoram recurrendi sufficiens est ratio, prout inanimatis quandoque tribuitur, ùt [Psal. 113] *montes exultaverunt ut arietes* præsertim, quia ut notat Origenes [hom. 7 in Luc:] licèt Verbum *exultandi* simpliciter dictum metaphoricè in-

interdum in Scriptura sumatur, tamen *exultare in gaudio*, nunquam invenietur secundùm metaphoram dictum. Quô factum est, ut ferè omnes Patres tam Græci, quàm Latini in hac expositione consentiant. *Octavò*. Ab instanti conceptionis habuit supernaturalem scientiam per se infusam Divinorum Mysteriorum; ità sentit sanctus Bernardus (Tract. de beatiss: Virg. serm. 4. a. 1.) *in prima sanctificatione quantum ad rationem, & intellectum, tanta enim sapientiæ claritas à DEO superinfusa est, quòd perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & Spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda*; imò & scientias omnes naturales, & humanas beatissimam Virginem habuisse per accidens infusas sentit sanctus Antoninus (p. 3. Tit. 15. cap. 19. §. 2.) & in eandem sententiam refert Albertum; at nè temerariè prosequantur tenues pagellæ immensitatem Marianarum prærogativarum, quæ in omnibus magna Deiparæ fecit, qui Potens est, cum fine ad coronam, & gloriam speciosi, & mundissimi corporis, & gloriosæ magnæ animæ reverentissima hyperduliæ devotione reflectunt. Beatissimam itàque Virginem brevi à morte intervallo ad gloriosam, & immortalem vitam corporis, & animæ resurrexisse, & in cœlum gloriosam assumptam esse Universa ex consensu, & traditione PP. sentit Ecclesia. Rationes, quas PP. à Suarez (Disp. 15. sect. 2.) copiosè citati allegant, ad sequentia capita cum citato Eximio reduco. *Prima*; Quia cum corpus Christi ex corpore Virginis sumptum sit, dici possunt quodammodo esse una caro; quare, sicut Adam dixit: *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, ità è contrario Christus dicere potest: hæc nunc caro, de qua est caro mea: Sicut ergo decuit carnem Christi omni ex parte esse beatam, & incorruptam, ità etiam, & carnem Matris, cujus gloria in Illius honorem redundat; unde & meritò hìc accommodatur il-

X lud

lud [Psal. 131.] *Surge in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* de qua Ecclesia canit: *ventris sub arcâ clausus est.* *Secunda.* Quia Christus (Joan. 12.) promisit: *ubi ego sum, illic & Minister meus erit.* Beatissima autem Virgo singulariter ministravit Christo, ex proprio enim sanguine proprium illi corpus præbuit, ac ministravit, & proprio lacte illum aluit, ergo præprimis in Illa completa est Christi promissio. *Tertia* est, quia incredibile illud corpus (ùt ait August:) ex quo DEUS indutus est carne, corruptum esse; *Corpus Virginis* (inquit) *esse vermibus traditum, sentire non valeo, dicere perhorresco*; si autem Corpus Virginis integrum, atque incorruptum in terra persisteret, vix cogitabile, permissurum fuisse DEUM, ut tanto tempore Ecclesiam lateret, dum interim aliorum Sanctorum Corpora ab obscuritate Divina Providentia vindicavit. *Quarta.* Corpus Virginis fuit quodammodo initium humanæ salutis, quia ex Illius sanguine, Corpus, sanguisque Christi sumptus est, quod fuit nostræ salutis pretium, ergo rationi consentaneum est, ut idem Virginis Corpus singulari modo redemptionem participaverit, atque adeò ut gloriam, & immortalitatem statim fuerit consecutum. *Quinta.* Quia hunc honorem quodammodo debebat Filius Matri, & Sponsus Sponsæ; sicut ergo salomon (3. Reg. 2.) in speciali throno Matrem ad dexteram collocavit, ità & Christus in cælo regnans: Hinc multi de Christo, & Virgine intelligunt verba illa (Matth: 25. v. 1.) *Exierunt obviam Sponsô, & Sponsæ.* *Sexta.* Quia animæ Beatorum appetunt gloriam, unde, quatenus hac ex parte non habent expletum omnem appetitum, quædámque accidentalis beatitudinis perfectio illis deest, ergo etiam Anima Beatissimæ Virginis à corpore separata hunc habuit appetitum, ac desiderium, ergo decuit statim expleri, ut omni ex parte foret perfecta, & si hoc postulavit, citra di-

lationem exaudita est propter singularem dignitatem, & quasi jure Materno; tandem concludit (citatus Suarez.) *hoc privilegium Virginis ad gloriam DEI spectat, Christique Domini, & dignitatem Virginis; summámque innocentiam, puritatem & charitatem maximè decet, quæ enim Universa carnis maculas non contraxit; non debuit ùt cæteri, carnis resurrectionem expectare.* Et ut ante subjectissimum finem sinè fine de Deiparæ, & VERBI Incarnati laudibus à consummata gratia devotissimo respirio reflectamus, adhuc ad Excellentissimæ Marianæ gratiæ primordia Eximii Mariophili urget affectus (Suarez Disp. 6. sect. 1.) ut ità finis gratiosus gratiosæ Marianæ respondeat plenitudini. Pium est (inquit credere gratiam Virginis in prima sanctificatione intensiorem fuisse, quàm supremam gratiam, in qua consummantur Angeli, & homines; solet ad hanc veritatem accommodari illud Psal. 86. *fundamenta Ejus in montibus sanctis*, quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt, ubi alii sancti consummantur; *quia diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Neque mirum, quia altissimus, qui Illam fundavit, in Ea factus est homo, in quam sententiam Gregorius (Lib. 1. Reg. c. 1.) explicat illud Isaiæ 2. & *erit præparatus mons Domini in vertice montium.* *Potest* (inquit) *hujus montis nomine Beatissima Virgo designari &c.* in vertice autem Montium fuisse intelligi potest, quia gratia, quæ in aliis fuit finis, & terminus, Illi initium, ac fundamentum fuisse videtur; potest & hoc ampliùs explicari ex Laurentio Justiano (serm. de Nativ.) quia beata Virgo in instánti suæ sanctificationis plùs amabatur à *VERBO*, quàm ullus Angelus, vel homo, sed gratia respondet amori, & est quasi objectum ejus, ergo major gratia Illi data fuit, quàm haberent Angeli, etiam beati; *Verbum* enim jam tunc Illam ùt suam Matrem amavit, totus autem hic

 amor

amor debetur Matri, & tota hæc perfectio gratiæ optimè quadrat cum tanta dignitate; de quo eleganter Petrus Damianus ſerm. de Annunc.) *attende* (inquit) *Seraphin, & videbis quidquid majus eſt, minus eſſe Virgine, ſolumque Opificem opus iſtud ſupergredi.* & S. Vincentius Ferrerius (ſerm. 1. de Nativ. Mariæ) hìc illud (Pſal. 41.) applicat: *fluminis impetus lætificat civitatem DEI.* Atque ità; quem propoſitis Quæſtionibus Scholaſticus conatus VERBI Incarnati, & Divini Filii Virgineæ Sanctiſſimæ Matris quæſivit honorem, unicè Latrevticæ Adorationis votô, & Hyperduliæ Venerationis ſuſpiriô exoptat Majorem Regis Gloriæ, Magnámque Reginæ Sanctorum Omnium Gloriam invenire.

i jam in
men dhu